









Marburg, Phil. Diss. 1907 Schen - 7  
Felmayer, Engl. Orthographie seit Shakespears  
Schwabe, Magneriumurg. Verbögn. u. Chinoles,  
" Herwolge des Koffein u. Steudothuber  
Seegers, Aufbau uenoz Indikatoren.  
Smith, Wycliffe. Urweysche Uebersetzung u.  
auhorized Revision der 4 Euan gel.  
Sahr, Kaese und Holland bis 1474.  
Stengel, Verf. d. Arch. Im munitäts privilegier  
Thewissen, Goethe's Einfluss auf Jüeriman.  
Tischner, Verfasserschaft d. Webster Rowley. Dra.  
Ulrich, Gust. Freytags Roman technik  
Weygand, Spermatogenese b. Plagiosoma.  
Wiegel, Nasalde des Schwälmerlandes  
Winder, Se ellipsi verbi esse equid cadull..  
Wolter, Alf. Dollmüsch im Urteil v. Ege Land.  
Woldersdorff, Historia prouincialis ille.



Marburg, Phil Diss. 1907  
Schu- z (1)



**DE ELLIPSI VERBI ESSE  
APVD CATVLLVM, VERGILIUM,  
OVIDIUM, STATIUM, IUVENA-  
LEM OBVIA  
CAPITA DUO.**

Dissertatio ab amplissimo philosophorum ordine celebrata  
MCMVII

**DISSERTATIO INAUGURALIS**  
QUAM AUCTORITATE ET CONSENSU AMPLISSIMI  
PHILOSOPHORUM IN ACADEMIA PHILIPPINA  
MARPURGENSI ORDINIS AD SUMMOS IN PHILO-  
SOPHIA HONORES RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

**THEODORUS WINTER**  
SUSATENSIS-GUESTFALUS

MARPURGI CATTORUM  
MCMVII.





DE ELLIPSI VERBI ESSE  
APUD CATULLVM, VERGILIUM,  
OVIDIUM, STATIUM, IUVENA-  
LEM OBVIA  
CAPITA DUO.

Dissertatio ab amplissimo philosophorum ordine referente  
Theodoro Birt adprobata die VII. mensis Maii a. MCMVI.

THEODORUS WINTER  
SUSATENSIS

Typis expressit W. Jahn typographus Susatensis.





# THEODORO BIRT

S.









Unus quisque, qui poetas Romanos perlegerit, mirabitur, quod totiens ellipsin verbi substantivi admiserunt. Neque id unum mirum est, admirationi quoque esse potest, quantopere inter se differant. Distare enim inter se, qui poetas diversos examinaverit, non est quin neget. Opusculi nostri erit disputare de verbo substantivo omisso atque quaerendum mihi proposui, quo modo Catullus, Vergilius, Ovidius, Statius, Iuvenalis, diversorum temporum poetae, hac in re se habeant. Hos ipsos elegi, ut et Augusteae et antecedentis et sequentis poeseos exempla tractarem.

Veteres grammatici non egerunt de ellipsi nisi paucis verbis, hic et illic eius commemorationem faciunt. Iam ipsorum, quae sunt de verbo substantivo omisso, verba afferam. Gellius Noct. Att. V 8, 7, quo loco Vergilium contra Hygini errorem defendit, haec dicit: „Et est autem et erat et fuit plerumque absunt cum elegantia sine detrimento sententiae.“

Charisius (Grammat. Lat. ed. Keil I 268) in solocismis numerat versum Maronis *inde toro pater Aeneas sic orsus ab alto*, in quo participium pro verbo *orsus est* adhiberi monet. Idem ille I 271 ellipseos definitionem dat et exempla diversa laudat. Ipsum audias: „De ellipsi. Ellipsis est verbo minor quam necesse est, salva tamen compositione, ut per est, *in medio victoria ponto*; et . . .“



Eadem auctoritate sunt, quae Priscianus de ellipsi disputat (Keil III 152/3): „Itaque frequenter invenimus demonstrativis pronomibus sitis non posita supra dicta verba tamen intellegi, ut Vergilius in VI *hic Caesar et omnis Iuli progenies* adeoque demonstratio huius est causa, quod adverbis quoque demonstrativis saepe positis, non est necesse addere supra dicta verba, ut Vergilius in I Aeneidos: *Tunc ille Aeneas, quem Dardanio Anchisae?* idem in III: *Nam Polydorus ego,* idem in eodem: *Ecce tibi Ausoniae tellus, hanc arripe velis.* Nec non etiam nomine substantiae posito frequenter deficiunt verba substantiva. Lucanus in I *Quis furor, o cives, quae tanta insania ferri!* Vergilius in III Aeneidos: *Quis tibi tum, Dido, cernenti talia sensus! Quosve dabas gemitus, et qualis tamen et quantus* positis infinitis, pro quibus etiam *quis* saepius deficiunt verba substantiva, ut Iuvenalis in IIII *O qualis facies et quali digna tabello!* Vergilius in I Aeneidos *Certe hinc Romanos olim, volentibus annis Hinc fore ductores revocato a sanguine Teucrici, Qui mare, qui terras omni ditione tenerent, Pollicitus.* — Praeter hos Servius nonnullis locis Vergilianis verbi *esse* defectum notavit; eius sententiam infra occasione data tangam. Nec Quintiliani testimonium praetermittendum est, quod occurrit Inst. orat. VIII 6, 21. Hoc enim loco, postquam de synecdoche disseruit, monet: „quod genus orationis (scil. synecdoche) non orationis modo ornatus, sed etiam cotidiani sermonis usus recipit. Quidam synecdochen vocant et cum id in contextu sermonis, quod tacetur, accipimus: verbum enim ex verbis intellegi, quod inter vitia ellipsis vocatur: *Arcades ad portas ruere.*“

Viri docti hodierni de verbo substantivo deficiente egerunt hi (ut omittam, quae in commentariis hic vel illic dispersa sunt): de Plauto verbum substantivum omittente disputavit Fr. Ritschellius in Trin. prolegom. (Bonnae 1848) p. CIX sqq. Fr. Leo de Augustei temporis poetis



verba fecit in Senecae ed. (Berolini 1878) I 184 sqq. De Claudiano posterioris temporis poeta cf. Th. Birtii edit. (Berolini 1892) p. CCXXIV/V. Quorum sententiae suo loco commemorationem faciam. Eos, qui de singulis poetis, de quibus quaestionem habeo, disputaverunt, infra tangam.

Argumentum meum in partes V dividitur: prima respicit locutiones *pote*, *mirum*, similia, altera ellipsin in sententiis rectis admissam, tertia eandem in sententiis parenthetis, quarta in secundariis obviam; quinta omissionem infinitivi separatim illustrabit. Ego omnes quidem has partes pertractavi et philosophorum ordini indicandas tradidi, tamen hoc loco non nisi partem primam et secundam exhibebo. Sub finem autem de frequentia omissionum tabulam adiciam, quae ad omnes quinque disputationis partes retro spectabit; eam enim omittere nefas mihi visum est, cum gravissima sint, quae ea de vario genere dicendi poetarum doceamur. Itaque teneas etiam capitulum III, IV, V exempla in illa tabella in calculo posita esse. Transeamus igitur ad materiem propositam.

#### I. De ellipsi, quae est in formulis *pote*, *mirum*, similibus.

Ritschellius l. c. p. CXI Plautum illum, qui ellipsin strenue evitavit, *est* voculam apud *pote* omisisse demonstrat. Catullum eandem viam iniisse apparet ex locis his: 17,24 *Si pote stolidum repente excitare veternum*; 45,5 *Quantum qui pote*; 67,11 *quisquam pote*; 76, 16 *sive id non pote sive pote*; 98,11 *dici pote*. Neque hoc neque illud ei opprobrio vertes, quod in locutionibus usu frequentatis ut Plautus in *mirum ni*, *mirum quin* verbo substantiae carere potuit: *nec mirum* 23,7. 57,3. 62,14; *neque mirum* 69,9. Qui post Catullum venerunt, in eadem formula *est* omittere solent. Casu factum esse videtur, quod apud Vergilium exemplum non exstat; eo saepius ab Ovidio ad-



hibetur: *non mirum* Art. am. 3,24; Pont. I 1,67; III 1,29; *quid mirum* Art. am. 3,110; Fast. 6,289; Pont. III 4,63; *mirum ni* Trist. III 12,35 cf. Met. 7,13. Apud Iuvenalem non inveni, quod huc referam. Supersunt Statianae ellipses: *quid mirum* Silv. II 1,69. 175; Theb. 1,191; *haud mirum* Silv. III 3,167; *nec mirum* Theb. 2,265; *mirum unde* 3,482.

Formulis his etiam adnumerabis Catull. 62,37 *quid tum si . . .*, quocum conferas Verg. ecl. 10,38 *quid tum si fuscus Amyntas* (sed loco Vergiliano *sunt* subsequitur).

Deinceps de alia formula disserendum est, a Catullo evitata, a ceteris, de quibus ago, praeter Iuvenalem adhibita: *nec mora* et *haud (haud) mora*. Hoc invenimus: Verg. Georg. 4,548; Aen. 3,207. 548; Ov. Met. 6,53; 14,362; Stat. Theb. 3,293; illud habes: Ov. Am. I 6,13; 11,19; III 7,81; Art. am. 1,146; 3,709; Met. 1,716; 3,46; 4,120; 344; 480; 6,636; 7,320; 8,416; 821; 9,166; 10,159. 11,324; 13,225. 953; 14,273. 845; Fast. 1,278; 2,471. 709. 831; 4,456. 843; 5,27. 519; 6,677; Trist. I 3,69; III 7,6; 11,53; Pont. IV 7,31; VI 2,93; Stat. Silv. III 1,117; 4,47; Theb. 1,310; 533; 2,513.

Huic igitur formulae saepissime civitatem dedit Ovidius. Similis nexus verborum est in sequentibus, ubi *est* subaudias necesse est: Georg. 1,516 *nec requies quin*; 2,80 *nec longum tempus et*; 3,110 *nec mora nec requies*; 4,185 *nusquam mora*; Theb. 2,549 *neque in his mora*.

Omnibus his locis, si demis pauca exempla Catulliana initio laudata, in sententia recta sive principali verbum substantivum deest. Reliquum est, ut de versu Cat. 62,3 disseramus: *surgere iam tempus*, quod unum est exemplum, quod invenitur apud Vercnensem. *Tempus* ita adhibetur, ut infinitivum regat deficiente verbo substantivo. Qui Catullo succedebant, eandem omissionem admiserunt, Vergilius quater in Georgicis: 1,212; 305; 2,542; 4,283. Dimidio minor est numerus exemplorum



ex Ovidio sumptorum: Art. 3,809, Met. 10,657, in Statii Thebaide semel hoc genus dicendi adesse video 2,403.

Hactenus de formulis, in quibus *est* facillime omititur. Ad alia ellipseos exempla, quae sunt in sententiis non subordinatis, transeamus.

## II. De ellipsi in sententiis rectis obvia:

### 1) in exclamationibus.

Primum locum occupant omissiones in exclamationibus admissae, in quibus facillimus est defectus verbi substantivi. Catullum non habere eius generis ellipsin video, Vergilius *est* hac condicione omisit: Ecl. 5,64 *deus, deus ille, Menalca*; Georg. 2,490 *felix, qui*; 493 *fortunatus et ille*; Aen. 2,402 *Heu nihil invitis fas quemquam fidere divis*; 738 *Heu misero coniunx fato mi erepta Creusa*; 3,477 *ecce tibi Ausoniae tellus*; 4,597 *en dextra fidesque*.

Eandem voculam eadem condicione eicere veritus non est Ovidius Her. 3,97 *felicior illa*; 5,107 *felix Andromache* cf. praeterea: 10,115; 12,193; Am. II 5,9. 9,39. 10,29. 11,39. Trist. 2,77; V 1,30. Pont. II 8,5; Met. 4,323. 325\*); Nuc. 87. Apud Iuvenalem has ellipses facillime excusabis, quae per exclamationem efferuntur: 5,24 *qualis cena tamen*; 6,137 *o quantus tunc illis mentibus ardor*; 254 *nam quantula nostra voluptas*; 255 *quale decus rerum si* cf. 10, 157, ubi iam Priscianus l. c. verbum deficere voluit. Adde eiusdem saturae v. v. 190, 248.

Sequuntur Statii versus: Silv. I 2,118 *quam segnis votis Aurora mariti!* 3,15; II 2,44. 7,24; III 3,188. IV 4,46. 4,81; 6,36 (= Verg. Ecl. 5,64). 6,43. 6,44.

\*) *est* in fine versus L ε habent. Vocula *est* metrum non laeditur, tamen ego eam omitto cum O (M et N), quippe quae in exclamatione deesse possit, ut in versibus, qui antecedunt.



*Infandum* exclamatur: Georg. 1,479. Aen. 1,251. Theb. 1,595; *indignum* Ov. Am. I 6,1; Met. 5,37.

Formam tertiam pluralis in exclamatione deficere pluribus Ovidianis locis videmus: Met. 4,322 *qui te genuere beati*; 10,329 *felices quibus*; Pont. II 8,57 *felices illi qui*; III 5,15; Fast. 1,297; Trist. IV 10,51. Bis Statius, semel Invenalis eam formam omisit, ille Silv. II 1,50. 4,14, hic 2,38.

*Ero* deest: Silv. III 2,131 *o tum quantus ego aut quanta votiva movebo; erit*: Theb. 2,210 *Quantus equis quantusque viris in pulvere crasso Sudor! io quanti rubebitis amnes!*

*Erat* eisdem condicionibus uno loco Ovidiano ellipsin patitur: Met. 11,266 *Felix et nato, felix et coniuge Peleus*. At Her. 10,113 *vos quoque crudeles venti*, quae verba sunt exclamantis, deest *estis*.

His in exclamationibus indicativus omittitur neque vero desunt loci, in quibus coniunctivi ellipsis statuenda sit. In primis Ovidii versus laudandi sunt velut Met. 7,511 *gratia dis*; Fast. 1,701; 2,449; Trist. IV 10,117; Pont. II 1, 19, quos in exclamationibus numerabis, quae vocula *sit* carent.

Eiusdem formae coniunctivi defectus hoc versu eclogarum occurrere videtur 3,60 *ab Iove principium Musae*, quamquam et *erit* et *est* et *sit* excidisse potest. Servius iam in commentariis adnotavit „vel meae musae ab Iove est principium vel o musae, sumamus ab Iove principium.“ Sed vocativum statui opus non est cf. Cic. de leg. II 3, 7 „ab Iove Musarum primordia,“ qua de causa genetivum *Musae* a Vergilio quoque adhiberi existimo. Idem ille Servius Aratei locum affert *Ἐξ Διὸς ἀρχώμεσθα . . . .* Similia habet Theocrit. id. 17,1 *Ἐξ Διὸς ἀρχώμεσθα καὶ ἐς Δία λήγετε Μοῖθαι*. Vergilianum illud verbis simillimis redit Ecl. 8,11 *a te principium, tibi desinam*, ubi, quamquam *desinam* futurum esse potest,



tamen potius coniunctivum esse puto nisus exemplis Arati et Theocriti. Coniunctivum igitur suppleo, quamquam, si verba ipsa considero, 3,60 et *est* et *sit* et *erit*, 8,11 et *erit* et *sit* subaudiri posse non habeo cur negem. Verbi substantivi ellipsin statuere veri mihi videtur similis quam coniunctivi *sumamus*, *capiamus*, *similium*. Hac in argumentatione 8,11 nisus sum codicis P lectione, qui *desinam* habet, M *desinet* tradit. Quamquam, quae sit vera lectio, dubitari potest, tamen Ribbeckium secutus *desinam* lego, quod facilius interpretari possum. Cum his Maronis locis conferri potest Iuv. 11, 185 *nec faenoris ulla mentio nec . . . (187) contrahat*. Nam hic et illic verba habes, quibus optatur aliquid.

Georg. 2,45 quoque eadem condicione deesse puto verbum substantivum. Haec sunt verba: *in manibus terrae*, ubi *sint* cum Ladewigio suppleo, etsi non certe constat, utrum illa forma an *erunt* (*tenebo* enim subsequitur) subaudiendum sit. Tertiae formae pluralis praeterea defectiva habes Iuv. 1, 140 *viginti milia faenus* (141) *pigneribus positus*, *argenti vascula puri*, (142) *sed quae Fabricius censor notet et duo fortes* (143) *de grege Moesorum, qui . . . (145) sit mihi praeterea . . .* Ex coniunctivo v. 145 apparet *sint* deficere, id quod iam monuit scholiasta. Huc etiam referendus est 14, 45.

Apud Statium *sit* ellipsin pati video: Silv. II 1, 82 *fas mihi . . . tu . . . sinas*; Theb. 2,430 *Te penes Inachiae dotalis regia dono* (431) *coniugis et . . . (432) cumulentur opes*; 2,436; 653. *sint* deest Silv. I 2,275; III 3,26.

Aliquanto duriores sunt omissiones hae: Iuv. 6,628 *nos utinam vani*, ubi *essemus* deficit. Theb. 1,573 *Felix si Delius nunquam . . . sociasset*, in quo versu *esset* intellegamus necesse est.

## 2) in interrogationibus principalibus.

Atque haec quidem de exclamatione. Ei proxime



accedunt versus, qui interrogativis pronomibus sive particulis introducuntur. Nonnulla exempla summam exclamationis similitudinem habent et tuo iure dubitare poteris, num in exclamationibus an in interrogationibus numeranda sint.

Catullum nusquam in directa interrogatione verbum substantivum omisisse video. Vergilius in eclogis ter ellipsin admisit voculae *est*: 3,1 *cuium pecus? an Meliboei?*, quae verba redeunt 5,87. 10,21 *unde amor iste . . . tibi?* Semel *sunt* omittitur 9,16 *heu tua nobis (17) paene simul tecum solacia rapta. . .?* Praeterea *est* deficit: Georg. 3,6; 4,324; Aen. 1,253; 460; 539. 2,42; 44; 322; 2,150 *quis auctor?* 151 *quae religio aut quae machina belli?* Concedendum est brevitatem quandam loquendi inesse in verbis Priami, quam ob rem Servius eo servari dignitatem regiam docet; „breviter enim reges interrogant, non ut minores, quos plus loqui necesse est.“

Ovidius quoque tales omissiones admisit neque raro. Voculae *est* ellipsis statuenda est: Her. 2,33 *ubi . . . Hymenaeus . . ?* 6,42 *ubi . . fides?* 9,47\*) *haec mihi ferre parum?* Adde 14,103; Am. I 7,10. 8,18; Met. 2,39; 3,632; 6,170. 7,16. 8,65. 574. 9,190. 10,200. 231. 13,92. 156. 646 *quod enim mihi filius absens auxilium?* Et hic quidem post *enim* vocula *est* in h<sup>2</sup> N (sed m. 2. addidit) exstat. Sane post *enim* alibi (8,809; 9,613) *est* invenitur, ego tamen pono, quod M habet, praesertim cum *est* in N a m. 2 additum sit. Praeterea interrogationem habemus, in qua omissio sane Ovidiana est:

Fast. 3,485; 6,77; Trist. II 104. 267; V 1,35; Rem. 281; Pont. I 3,37\*\*) *quid melius Roma? Scythico quid frigore*

\*) Sive exclamationis sive interrogationis signum post *parum* ponis, ellipsis adhibetur et habet suam excusationem. G<sup>o</sup> (Sedlmayer) *parum e* habent, sed cum defectus verbi substantivi possit defendi, *est* omittere non dubito.

\*\*) Codices BDGLN *est* post *Roma* afferentes non sequendos esse usus Ovidianus docet.



*peius?* I 4, 11. 7,49. 8,61; III 1,15\*) *an mihi barbaria vivendum semper in ista?*

Restant versus Ovidiani, in quibus reedit ellipsis fere semper. Adamat enim poeta in formula, quae est *quid mihi cum . . . ?*, *quid tibi cum . . . ?*, similibus defectum verbi substantivi. Cf. Her. 6,17. 48. 14,65; Am. I 7,27; II 19,57; III 6,87. 8,49; Art. 1,303. 305. 693; Met. 1,456; Fast. 2,101; 4,3; Trist. III 11,45. 13,11. Eadem formula semel ab Iuvenale usurpatur 9,3. In interrogationibus, quales initio enumeravi, idem est eiecit locis haud ita paucis: 1,30 . . . *quis . . . tam patiens . . . ?* 48. *quid . . . infamia . . . ?* 92 *simplexne furor . . . ?* cf. praeterea 1,150; 2,127. 134; 3,61. 93. 126; 4,69; 5,8. 9. 10. 129. 157. 163. 6,103. 136. 151. 178. 185. 492; 7,63; 98. 103. 119. 199; 8,6. 196. 211; 9,16. 38; 10,210; 13,157. 234; 15,108; 240.

Neque Statius eius generis ellipsin sprexit: Theb. 1,438 *quae causa . . . ?* 440 *quisnam . . . error . . . ?* 442 *usque adeone angusta dies et triste . . . ?* 449 *quid verbis opus ?* 652 *An illud . . . magis cordi.* Adde: 2,548; 3,9. 10. 216. 273; 607. 632. 644; Silv. I 2,162. 164; II 1,15. 41.\*\*\*) 52. II 6,59. 95; III 1,10. 102; 2,67. 83. 159; 5,13. 44. 98; IV 4,99. 9,40.

Tertiae formae pluralis defectum poetae multo rarius sibi permiserunt: Verg. Ecl. 9, 17, quem versum iam supra attuli. Aen. 1,11\*\*\*) *tantaene animis caelestibus irae?* Georg. 2,486 *o ubi campi?* Ov. Her. 2,31 *iura, fides ubi nunc . . . ?*, ubi pro *iura* Bentleius *pacta*, Kochius *pura* correxit; neutrum sequi possum, cum omnes libri

\*) Libri hoc loco titubant. *anni barbaria* A, *anne est* B, *vivendum est* F, *ista est* CENPR. Codex β, in quo vocula *est* deficit, rectum habet, omitto hanc voculam in interrogatione.

\*\*) Sequuntur h. l. omissiones verbi substantivi usque ad v. 52, satis fuit semel ellipsin notare.

\*\*\*) Servius adnotat: *tantaene* quasi exclamatio est mirantis. nonnulli *tantaene* legunt, ut interrogatio sit potius quam exclamatio.



*iura* exhibeant cf. Sedlmayer. comment. crit. (Vindobonae 1881) p. 14, ubi Kochii coniecturam abicit. *ubi sunt* o praebent. Sed in o saepius praedicatum ponitur, ubi ceteri ellipsin adhibent (8,23; 12,112; 2,58), quam ob rem caveas his codd. nimis confidas. Hoc loco omissio Ovidii rationem prae se fert. Idem *sunt* deest: Her. 6,41; Met. 5,552; 13,35; Fast. 3,485.

Iuvenalis ter omisit eandem formam eadem conditione 3,309. 9,8. 10,97, Statius quater Theb. 1,444. 3,7. 632. 699.

Alterius formae ellipsin inveni: Aen. 1 329 *an Phoebi soror? an nympharum una?* 617 *tunc ille Aeneas..?* Iuv. 2,37 *ubi nunc lex Julia? dormis?* Stat. Silv. III 1,8 *tunc ille..?* 91 *tunc...?* 5,1\*) *quid mihi maesta die, sociis quid noctibus, uxor (2) anxia pervigili ducis suspiria cura?* His locis singularis altera persona deest, pluralis defectus adest: Theb. 1,443 *sed prodite tandem: (445)\*\*)* *unde orti, quo fertis iter, quae iurgia?*

Idem ille Statius formae *sum* ellipsin habet Theb. 1,79 *hinc etiam funestus ego?*

Coniunctivus *sit* omittitur ab Juvenale 16,25 *quis tam procul absit ab urbe (26) praeterea quis tam Pylades.* Ubi formam *sit* deesse coniunctivo *absit* 26 docemur, ex quo fortasse ipsa subaudiri potest.

Semel futurum *ero* suppleo Iuv. 1,1 *semper ego auditor tantum? nunquamne reponam?*, sequitur enim *reponam*.

Formae imperfecti raro a poetis omissae sunt, exempla afferam: *erat* Aen. 4,408 *quis tibi tum . . . . sensus;* Pont. III 3,27 *quae tibi causa viae nisi ut videres?* Iuv. 4,86 *sed quid violentius aure tyranni (82) cum quo . . .*

\*) Cum Vollmero *es* excidisse censeo. Verba usque ad *die* generaliter, quae sequuntur, specialiter dicta sunt.

\*\*) Post *tandem* sic interpungo, ne quis indirectam interrogationem esse existimet.



pendebat . . . ; *eras* Silv. II 1,168 *tunc ille hilaris . . . ? erant* Silv. II 1,169 *unde animi . . .*

Perfectum ellipsin patitur: Iuv. 1,87 . . . *quando uberior . . . copia ? 1,151 . . . unde illa priorum . . .* (153) *simplicitas ?* Silv. I 2,209. IV 9,27 *nusquam turbine conditus ruenti* (28) *prumorum globus atque cottanorum ?* Postremo loco fuit suppleo, antecedit enim *defecerunt*. V. 29 usque ad 49 aliae interrogativae sententiae sequuntur, in quibus omnibus copula deficit.

*Fuisset* uno loco Iuvenalis supplendum est. Sententia enim interrogativa est, quam sequitur enuntiatum ex voce *si* suspensum, 4,84 *quis comes utilior, si . . . . .* (85) . . . . . *honestum adferre liceret* (86) *consilium ?*, ubi pro *liceret* plusquamperfecti coniunctivum exspectamus.

### 3) ellipsis adhibetur alia forma iuxta posita.

In exemplis, quae cumulavi, tolerari potest ellipsis, etsi praeteriti temporis defectus satis durus est atque apud Statium et Iuvenalem pauca sunt, quae defendere haud ita facile poteris. Nunc ad alias omissiones vertamus. Lachmannus diversis commentarii Lucretiani locis monuit poetam suum omittere verbum substantivum forma praecedente eiusdem verbi. Eandem ellipsin facillime apud poetas, de quibus ago, defendere possum. Unum locum Veronensis habeo, quem afferam: 110,5 *aut facere ingenuae est aut . . . . (6) . . . . data corripere (7) . . . . plus quam meretricis avarae*, ubi post *avarae* Calpurnius *est* addidit. Quid causae fuit Catullo, cur omitteret *est*? Vides iam poni v. 5.

Ellipsis vocis *sunt* habet quo excusetur Verg. ecl. 2,40/41, cum antecedit v. 35 *est*. Hic est locus: *praeterea duo nec tuta mihi valle reperti* (41) *capreoli sparsis etiam nunc pellibus albo*; (42) *bina die siccant ovis ubera*. Wagner lenius interpungit post *albo*, ita ut *siccant* ad v. 40 trahendum sit.



Ego Ribbeckio assentior, qui graviore interpunctione utitur. Dolendum est, quod talibus in versibus, quae sit codicum distinctio, nesciamus. 5,4 *tu maior, tibi me est aecum*, ubi in priore sententia *es* suppleo, quem defectum verbi substantivi eo magis sibi permittere potuit Vergilius, cum *est* subsequatur. 5,34 *tu decus omne tuis vocolam es*, 9,40 *hic ver purpureum formam est subaudias*, altero loco v. 32, altero v. 39 *est* antecedit. 8,2 *immemor herbarum quos est mirata iuvenca* (3) *certantis, quorum stupefactae carmine lynces*; v. 3 *sunt* subaudio antecedente *est* v. 2. Georg. 2,397 *est* ponitur, 399 idem deficit. Nec opprobrium tangere debet Maronem, qui 3, 308 omisit *erit*, quod ex v. 306 supplebis: 306 *nec minor usus erit*; 308 *densior hinc suboles*. Item 4,95 ex v. 92 *sunt* subaudias. Aeneidos unus versus hic laudandus est 1,76 *tuus . . .* (77) *explorare labor; mihi iussa capessere fas est*. Prioris sententiae ellipsin excusabis, cum *est* sequatur. Georg. 2,234 *aptius uber erit; sin in sua posse negabunt* (235) *ire loca et scrobibus superabit terra repletis*, (236) *spissus ager*: (sic interpungit Ribbeckius). Ego v. 236 *erit* deesse puto, verba *spissus ager* arte adiunguntur v. 235 atque pendent ex *sin*. Omissionem futuri excusabis eadem forma v. 234 posita.

Ovidii opera huius usus exemplis referta sunt. Her. 1,64 *incerta est fama remissa Pylo*, 65 . . . *Sparte quoque nescia veri*. 65 ex 64 *est* supplere possumus. 3,22 *iraque lenta tua est*, 25 *nec repetisse parum . . v. 25 ego est* omitto eum optimis libris neque refert, utrum post *parum* punctum ponas an exclamationis signum, quod Ehwaldius maluit. 7,73 *nec mihi tu curae*, antecedit v. 72 *est*. 8,23 *sic quoque eram repetenda tamen, nec turpe marito* (24) *aspera pro caro bella tulisse toro*. (25) *quid quod avus nobis idem Pelopeius Atreus* (26) *et si non esses vir mihi, frater eras?* 23 et 25 *erat* suppleo ex forma *eram* v. 23 antecedente. Libri deteriores et post *marito* et post *idem*







in v. 6 *est* ellipsin patitur imperfecto antea posito. *Est* deest 3,84; 277; 370, idem antecedit v. v. 83; 276; 369. V. 397 *quod latet, ignotum est. ignoti nulla cupido* in posteriore sententia facillime ex priore tertia persona singularis subauditur. 2,415 *sunt* ponitur, 416 omittitur. Cum 2,435 *auctor in incerto, res est Romana conferas* 3,397, nisi quod 2,435 *est* sequitur omissionem, altero loco antecedit.

Metamorphoseon hi loci memorandi sunt: 1,521 *inventum medicina meum est . . . . .* 522 . . *et herbarum subiecta potentia nobis*; 522\*) *vocula est* deficiens excusatur, cum antecedit in versu priore. 3,583 *patria Maeonia est: humili de plebe parentes*. In altera sententia *sunt* deest et facillime ex priore subauditur. Similiter *res se* habet 6,172 *numen adhuc sine ture meum est? mihi Tantalus auctor*, ubi *est* in priore sententia positum in posteriore omisum est. 5,507 et 6,176 *est* deficit, cum adhibetur 505 et 174. 2,855 *sunt* omittitur, 852 *est* ponitur. 7,486 *sunt* subaudio, *est* in eodem versu antecedit. 8,122 secunda forma singularis deficit, tertia eiusdem numeri 120 adhibetur. *Erat* 1,252 et 7,697 deficiens 250 et 694 positum est.

8,349 *longius it. auctor teli Pegasaeus Iason*, quo loco *fuit* ellipsin patitur, cum *it* pro *it* adhibeatur. Eadem verbi *esse* forma 346 occurrerat. 10,399 *ira deum sive est, sacris placabilis ira*: in sententia principali ex enuntiato secundario *est* suppleo. 12,395 *barba erat incipiens* 397 *gratus in ore vigor* 399 . . *nec equi mendosa sub illo* 400 *deteriorque viro facies*: 397 et 399 *erat* ex 395 subaudiendum est; scilicet *illo est* (n addidit *est*) N habet, ego *est* omitto.

12,48 *sunt* deficit, 46 *est* adhibetur.

397 et 400 *erat* „ , 397 idem „ .

12,408 *est* „ , 403 „ „ .

\*) L. *est* addidit ut v. 527.



13,28 *est* deficit, 25 idem adhibetur.  
 195 " " , 144 " " .  
 725 " " , 724 " " .  
 14,236 " " , 235 *sum* " .  
 324 *erat* " , 322 idem " .

13,367 *est* omittitur, postquam *sunt* positum est.

Fastorum quoque libri exempla multa habent, quibus Ovidium verbo substantivo antecedente ellipsin admisisse docemur :

1,39 *erat* occurrit, 40 idem omittitur.  
 252 " " , 253 " " .  
 489 *est* " , 491 " " .  
 605 " " , 606 " " .  
 658 " " , 661 *sunt* " .  
 2,22 *erat* " , 25 idem " .  
 290 *fuit* " , 291 " " .

Nobis admirationi sunt etiam versus 2,497 *luctus erat falsaeque patres in crimine caedis* et 792 *nox erat et tota lumina nulla domo*; in nostra enim lingua talia non admittimus. In utriusque versus parte posteriore *erant* subaudias necesse est ex *erat* antea posito.

3,115 *illa quidem faeno: sed erat reverentia faeno.* ubi *erat* in verbis initio positus supplebis ex sequentibus.

3,725 *est* omittitur, cum antecedit idem 724,  
 4,35 }  
 37 } " " , " " " 33,  
 41 }  
 307 *fuit* " , " " " 306,  
 574 *est* " , " " " 573,  
 599 *sum* " , " " *est* 598,  
 683 *est* " , " " idem 682,  
 5,25 " " , " " " 22,  
 172 " " , " " " 170,  
 265 *erit* " , " " " 264,  
 322 *erat* " , " " " 320,



6,7	est	omittitur,	cum	antecedat	idem	5,
103	"	"	"	"	"	101,
133	sunt	"	"	"	"	131,
140	est	"	"	"	"	139.

5,308 *virgo est et spretos bis tamen ulta viros*, ubi *vocula est etiam ad verba et spretos . . . trahenda est*. Cum v. 3,115 supra laudato comparari potest 5,534 *iamque decem menses: et puer ortus erat*, ubi *erant* suppleri potest ex voce *erat*. Relinquitur Fast. v. 1,273 *cuius ut utilitas . . . . . percepta (274), . . . tuto reddita forma loco est*. Ellipsis v. 273 fortasse ea re excusatur, quod 274 *est* sequitur.

5,206 *inque meo non est ulla querela toro*, 207 *vere fruor semper: semper nitidissimus annus*, 208 *arbor habet frondes, pabula semper humus*: sic habent libri optimi, Riesius libros nonnullos secutus pro *semper* ante *nitidissimus* ponit *vere est*, quae verba quamquam stare possunt, tamen non intellego, cur ceteros codices non sequar. Flora enim se *semper* *vere* frui diversis sententiis ter significat *semper n. a.*, *arbor h. . fr. .*, *pabula s. h.* *Est* igitur ex v. 206 subaudire poteris.

Tristium libri minorem numerum exemplorum continent. I 2,102 *fuit*, quod ponitur 99, suppleo.

II 568 *sum* deest, 566 *est* positum invenimus.

III 2,19 *est* " , 18 idem " " .

IV 9,41 " " , 39 " " " " .

V 1,6 *flebilis ut noster status est, ita flebile carmen*. Hic in sententia recta ex illa, quae ex *ut* suspensa est, *est* subaudias.

Pont. I 2,131 et 136 *sum* deest eadem forma antecedente v. 129.

IV 3,13. 15. 16 " " " " " v. 11.

II 6,19 *turpe erit . . . . . 21 turpe referre . . . . . 22 turpe . . . . . deseruisse . . . . . 23 turpe sequi*: postquam adhibuit in v. 19, *erit* ter carere potuit Ovidius. Quod ad Hilbergi sententiam attinet, qua Ovidius *est* in fine v. 22 eiecisse dici-



tur ne aphaeresis *em est* oreretur neve longius abesset *est a turpe*, non possum nisi mirari, quod virum doctum effugit ex superioribus futurum subaudiendum esse. III 1,52 *est* ex v. 51 suppleo. III 4,89 et IV 10,81 *est* deficit, antecedit utroque loco tertia persona pluralis numeri. III 4,90 *est* cum B inferre non possum; cum ellipsis habeat excusationem. IV 14,18 facillime ex v. 17 *est* suppletur. III 1,20 *et in terra est altera forma maris* 23 *tristia per vacuos horrent absinthia campos* 24 *conveniensque suo messis avara loco*: sic legunt Kornius, Ries., Merk., *suo est C*, *loco est EFLN* habent. Hilbergius p. 493 Ovidium, ne quis ex v. 23 *horret* subaudiret, *est* post *loco* addidisse existimat, sed mihi quidem Romanos illud subaudituros fuisse, si *est* defuisset, persuadere non potuit. Fretus codicibus, qui auctoritate fruuntur, *est* in textum recipere non audeo.

Non solum forma verbi substantivi antecedente, sed etiam subsequente Ovidius copulam omittere veritus non est. Plures Metamorphoseon versus laudandi sunt: 1,144 . . *non hospes ab hospite tutus*, (145) *non socer a genero; fratrum quoque gratia rara est*. Vocula *est* enim, quam v. 144 desideramus, 145 sequitur. Similis est 2,56 *sors tua mortalis: non est mortale* . . 4,299 *nec steriles ulvae* . . . 300 *perspicuus liquor est*, quo loco 299 *sunt* deest, cum *est* subsequatur. 6,192 *est* ponitur, in priore sententia deest. 8,741 *nec non et cetera tanto* (742) *silva sub hac, silva quanto fuit herba sub omni*, ubi ex sententia relativa *fuit* in sententia recta supplere possumus. 10,605 . . *mihi genitor* . . *Onchestius: illi* (606) *est Neptunus avus: pronepos ego*: in primo enuntiato *est* ex altero subaudias, in tertio ex alterius vocula *est* forma prima singularis numeri suppleri potest. 12,360 *est* ex v. 361 suppleo, 362 ellipsis excusatur, quod antecedit *est*. 15,68 . . *et quid natura docebat* (69) *quid deus, unde nives, quae fulminis esset origo*: in v. 68 indirecta interrogatio ne au interrogatio *esset* deest et ex 69 subauditur.



Nunc de Iuvenale ellipsin ita adhibente, ut verbi substantivi forma aliqua praegressa sit, agamus. Cuius omissionis, qua referti sunt libri Ovidiani, apud hunc poetam exempla pauca invenio:

8,98 .. *neque vulnus erat par 100 plena domus tunc omnis . . . 104 multus ubique labor*. In. v. v. 100 et 104 *erat* suppleo, quod 98 ponitur.

10, 197 ex forma *sunt* (196) suppleo *est*, indidem 198 et *est* et *sunt* suppleo.

6,107 *praeterea multa in facie deformia, sicut*, ubi *erant* ellipsin patitur, quae eo defendi potest, quod v. 110 verbum sequitur in verbis *sed gladiator erat*.

Eadem de causa excusari possunt omissiones Stantianae nonnullae: Silv. I 4,165 *quis* (166) *sit curae votique locus?* .. *testor* (167) . . . , *quis omni* (168) *luce mihi, quis nocte timor, dum . . .* Nam in v. 168 *sit* ex 166 suppleo. II 6,4 *est* omissum v. 2 ponitur. II 6,35 ex 34 *eras* intellego. Theb. 1,189 .. *tamen ille precanti* (190) *mitis et adfatu bonus et patientior aevi* (191) *Quid mirum? Non solus erat*, ubi v. 190 *erat* desideratur, quod 191 subsequitur. Idem subaudit Lactantius Placidus in commentarii, quem edidit Iahnkius, p. 24.

#### 4) in sententiis graviter dictis.

Transgrediamur ad alia ellipseos exempla, quae in sententia recta admiserunt poetae. Supra omissiones in exclamationibus positas cumulavi, quarum summam similitudinem habent, quae in graviter dictis et in sententiis, quae pondus aliquod habent, inveniuntur. Ritschellius l. c. p. CXII Plauti versus duos laudat, quorum alterius a gravitate ellipsis excusationem habet. Neque desunt exempla, quibus eadem licentia Catullum usum esse doceamur. 64,186 *nulla fugae ratio, nulla spes*; 68,34 *illa domus* (69) *illa mihi sedes*; 97,3 *Nilo mundius hoc, niloque im-*



*mundior ille*. Hos locos vim quandam prae se ferre etiam anaphora, quae adhibetur, docemur. Restant duo versus: 2,1 *Passer deliciae meae puellae*, ubi ellipsin statuo cum Th. Birtio, quem (Phil. 1904. 63 p. 427) recte rem diiudicasse arbitror. 68 b 142 *ingratum tremuli tale parentis opus*: codicum *tolle* sensu cassum est; versus sanari videtur coniectura Th. Birtii *tale*, quam protulit in mus. rhen. 59 (1904) p. 428.

Eclogarum hi versus commemorandi sunt: 3,57 *nunc frondent silvae, nunc formosissimus annus*; 3,61 *illi mea carmina curae*. In ecl. III Palaemon, qui iudicis partes suscepit, certamen, quod instituerunt Menalcas et Damoetas, his verbis diiudicat 108 *non nostrum inter vos tantas componere lites*; (109) *et vitula tu dignus et hic*. Sententiae hae plenae sunt acuminis, quam ob rem ellipsin formarum *est* (108) et *es* (109) Vergilio vitio vertere non debemus. Adde 7,9 *caper tibi salvos et haedi*; 5,43 *Daphnis ego . . . notus*. 9,34 *sed non ego credulus illis*. Item 3,57 *est*, 3,61 et 7,9 *sunt*, 5,43 et 9,34 *sum* deest.

In Georgicis huius generis ellipsis occurrit 1,412; 514; 2,191; 3,118; 244; 248; 286; 288. 4,205; 532, quibus omnibus locis *est* omittitur; 1,422 *hinc ille avium concentus in agris* (423) *et laetae pecudes et ovantes gutture cervi*, ubi satis erit in v. 423 *sunt* intellegere.

Aeneidos versus hos his exemplis adnumerabis: 1,364; 548. 2,137; 309; 314; 369; 601; 646. 3,60; 111; 401; 558; 660. 4,373. Quibus in versibus *est* suppleo, *sunt* eisdem condicionibus deficit: 1,339. 2,780. 3,112. — 3,45 *nam Polydorus ego cum Servio sum* subaudiri opus esse puto. 1,669 *nota tibi et nostro doluisti . . deest sunt*; celeritas quaedam inesse videtur loquendi. 2,554 *haec finis Priami, . . . (555) tulit*: in v. 554 *fuit* omissum est. 3,227 *diripiunt . . . foedant*, (228) *tum vox taetrum dira inter odorem*: Servius erravit in eo, quod *audiebatur* vel *erat* splendendum esse censet. Praesente tempore antecedente



in v. 228 subaudio *auditur* aut *est*, quod facilius subaudiri posse puto.

Nec minus saepe quam Vergilius Ovidius in versibus, qui commotione quadam distinguuntur, ellipsi utitur: Her. 5,109 *tu levior foliis* (scil. *es*); 8,93 *non cultus tibi cura mei* (scil. *fuit*). Similiter 8,99 *est*, 9,24 *sunt*, 9,64 *fuit* poeta carere potuit. 9,110 *heres laudis amica tuae*, in quo versu *tue est* G o habent, *tua est* Bentleius legit. o librorum auctoritas in vocula *est* afferenda aut omittenda fere nulla est. Cum praeterea non habeam, cur optimos codices neglegam, ego illud *est* codicis G omitto; *tue ex tuae* ortum esse patet. Accedit, quod vocula *est* post syllabam *ae* rarissime aphaeresin patitur. Bentleii coniectura spernenda est, quod *tuae* ipso sensu commendatur, neque offendendum est in ellipsi, quae quin sit Ovidiana non dubito. Eadem de causa formae *est* omissio defendi potest: Her. 10,61; 62. 12, 115 (ubi *est* supplere malo quam *fertur* ex v. 104). Am. I. 8,30; II 2,11. 4,46; 48. 10,15 (= III 9,47); 14,31, ubi bis defectus verbi substantivi statuendus est. III 1,64; 2,48 *nil mihi cum pelago* (cf. p. 13); 8,56.

*Es* omittitur Am. I 13,21. II 3,7; III 1,68 (eo magis deesse potest, cum subsequatur *est*); *fuit* I 13,42. Eiusdem generis omissiones Artis amatoriae sunt hae: 1,281; 434. 2,553; 600; 667; 725. 3,122; 234; 377; 495; 695. Ubique *est* deest. Ad Metamorphoseon libros transeo. 2,747 *Herse causa viae: faveas*. Codices O (id est MN)\* sic legunt, *viae est* m, *Herse est c. v. L*, *viae* <sup>e</sup> e habet. Hoc igitur loco optimi codices *est* eiciunt, ceteri fluctuant, quo nimis eis fidere vetamur. L enim post *Herse*, e post *viae* et supra *versum* habet *est*. Nonne prae se ferunt hae lec-

\*) O lectiones in Riesii editione praebentur, diligentius apparatus criticum nobis dedit H. Magnus in programmate gymnas. Soph. Berolinensis 1902. Amploniani (ε) lectiones habes in Kornii editione et in libello R. Graui, qui inscribitur „de Ovidii Metamorphoseon codice Amploniano priore“ (Halis 1892).



tiones eorum vestigia, qui cum desiderarent *est* suo arbitrio addiderint? Praeterea v. v. 1,366; 522; 527 docent L saepius inferre *est*, ubi ceteri omittunt. Qui cum Kornio eo propensus est, ut *est* retineat, conferat 5,258 *is mihi causa viae*; ibi codices *est* non praebentes inter se consentiunt. Eodem modo vocula *est* carent v. v. 3,622; 5,133; 6,82; 210; 674; 7,511; 9,29; 11,562\*). 5,609 *nec me velocior ille*: forma *fuit* deest, perfectum enim antecedit. 6,537: *paelex ego facta sororis*, (538) *tu geminus coniunx*, *hostis mihi debita Progne*: v. 537 *sum* suppleo, ex qua forma ceteras 538 intellegas. 6,816 *es* omittitur.

11,608 *ianua nec verso stridores cardine reddit*: (609) *nulla domo tota*; *custos in limine nullus*. Hoc loco libri fluctuant: *ne* ML, *vero* M, *reddat* L, *nec* N, *reddit* N tradit. Difficile est diiudicare, utrum *nec*... *reddit* an *ne*... *reddat* vera sit lectio. Hac lectione Siebelisius, quem sequi malim quam ceteros, utitur. Utut est, in v. 609 duae omissiones statui possunt quasi in breviter graviterque dictis.

11,747; 754; 13,852; 14,15; 634 *est* desideratur eadem condicione. 13,319 cum Siebelisio *fuit* evanuisse censeo. 14,385\*\*) *sed amans et laesa et femina Circe*: hic locus forma *est* caret. In v. 15,40 .. *tu* ... *auctor* secunda singularis forma deficit.

Fastorum loci huc referendi sunt hi: 1,447; 2,259; 272; 609; 3,96; 145; 241; 4,379; 5,139; 276; 720; 6,43; 267; 281; 609; 746; 756; 769, ubi *est* subaudio. *Es* deest: 2,132; 4,8; *sunt* 4,393; 5,140; 271; 6,599 *hinc cruor*, *hinc caedes* (= Tibull. II 3,38).

\*) *est* deest in ML, *ore*  $\tilde{e}$  N habet,  $\epsilon$  ponit post *Alcyone*. Ego cum libris optimis ut in graviter dicto omisi.

\*\*) Hunc versum plerique ab Ovidio abiudicant, Helmius autem suo iure eum defendit mus. rhen. 56,385. *est laesa et femina* M, *laesa est et femina* h, *amans et laesa et femina* N  $\epsilon$  habent, quae una lectio conexui sententiarum idonea est.



Sequuntur Epistularum ex Ponto omissiones, quae excusantur sententiarum vi aut gravitate: I 5,17 *labor hic quam scribere maior*. Librarii deteriorum librorum, cum verbum desiderarent, diversa tentarunt: *labor sit l' est C, labor est G, labor est quia τ (est in ras.)*. Metrum laedunt lectiones cod. F *fuit hic* et P, in quo *est* post *labor* additur. Lectiones attuli, ut videas, quantopere librariorum interfuerit verbum substantivum poni. I 6,21 *nec breve nec tutum peccati, quae sit origo, (22) scribere*: editores iure *est* omittunt, cum non adhibeant nisi libri minoris fidei cf. Trist. III 6,27. Pont. II 10,27 *nec procul hinc nymphae quae A β, nimphe quae BCDEFG, (nymphe) LNP, nymphen coniec.* Heinsius, *nympha est, quae ψ*, Merk., Ries., Korn. habent. Concedo codicum A β lectionem *nymphae ex nympha est* oriri potuisse neque negari potest syllabam *ae* ex *e*, quod saepius accidit, originem ducere. Owenius in Corp. poet. Rom. (ed. Postgate) collata forma *nymphe* Am. II 17,15 hoc quoque loco *nymphe quae* legit, quam lectionem mihi quidem probavit. III 2,77 *sum*, III 9,33 *est*, IV 10,31 *sunt* ellipsin patitur.

In Trist. libris *est* eodem modo vitatur III 3,9. 14,37. V 1,17. 7,60. 10,49. Remed. v. 38 et 799 eiusdem generis ellipsis extat voculae *est*. Quibus adnumerabis v. 386 *nil mihi cum vitta*, etsi hoc loco et antecedit et sequitur *est*. Forma *sum* deficit Rem. 5 *non ego Tydides*.

Videmus igitur Ovidium in sententiis gravibus et vi quadam positis defectum verbi substantivi admisisse. Iuvenalis num eadem condicione copulam omiserit exempla doceant: 1,142 *poena tamen praesens*; 3,180 *hic ultra vires habitus nitor*; 187 *hortalus hic*; cf. praeterea 3,214. 236. 5,61. 6,99. 270. 327. 560. His locis tertia forma singularis omittitur, tertia pluralis deficit: 1,144 *hinc subitae mortes*; 168 *inde irae et lacrimae*; 274 *adeo tot fata, quot . .* Adde 6,50 et 8,71. Omnes hae sententiae habent exclamationis similitudinem. Accedunt aliae ellipses in graviter bre-



viterque dictis adhibitae: 2,5\*) *nam perfectissimus horum*,  
(3) *si quis*. Praeterea *est* deest: 2,14. 18. 139. 3,159. 166.  
212. 5,18. 56. 61. 6,240. 333. 349. 368. 413. 434. 7,13.  
30. 202. 8,62. 64. 73. 177. 215. 9,27. 90. 122. 10,306.  
353. 11,120. 149. 204. 12,1. 111. 13,61. 180\*\*). 196. 211.  
14,105. 248. 15,35. 51. 52. 55. 62. 115. 133. 159.

3,209 legitur: *ultimus autem* (210) *aerumnae cumulus*,  
ubi 210 *est* post *aerumnae* expunxit p, omiserunt ω.  
Hosio teste sex libri interpolati habent, quinque omittunt.  
Fides cod. P labefit v. 195, ubi, quamquam poni necesse  
fuit, *est* deficit, codicum ω augetur, cum recte v. 195 addi-  
derint *est*. Ego igitur omitto *est* in enuntiato, quod pondus  
aliquod habet. Aphaeresi, ut eiciam *est*, moveri non pos-  
sum, cum v. 171 *patriae est* legamus. 9,77 similem ellip-  
sin poeta admisit *testis mihi lectulus et tu*, fortasse recte  
Iessenius (Phil. 59,515) pro *lectulus* coniecit *Lar tuus*.  
Utrum hoc an illud legas, ad ellipsin non refert, *est* sup-  
plere sufficiet. Tertia forma pluralis numeri omissa est:  
2,4 *indocti primum*; 2,19 *sed peiores qui*; 3,250. 6,380. 9,12.  
10,88. 11,46. 14,152. 173. 264. 15,48. 8,46 *sum* eadem  
condicione deest: *ast ego Cecropides*; vocula *es* 8,52: *tu nil*  
*nisi Cecropides*, quae item omittitur 14,274 *tu . . .* 275  
*temerarius*. Secunda pluralis deficit 8,44 *vos humiles . . .*;  
*erat* 7,96 *tunc par ingenio pretium, tunc utile . . .*; *erant*  
11,99 *tales ergo cibi . . .*

Statiana huc refero haec exempla: Silv. I 1,17 *par*  
*forma decorque*, (18) *par facies*; 22 *par operi sedes*; 75  
*nunc mea felix*, (76) *nunc veneranda palus*. Accedunt  
I 2,35. 41. 89. 95. 169. 247. 3,7. 24. 29. 4,44. 68.  
71. 5,40. 45. 46. II 1,67. 76. 214. 2,17. 26. 73. 149.  
6,35. III 1,8. 43. 119. 142. 2,71. 76. 3,48. 63. 80. 106.

\*) post *horum* in p extat *est*, qua in lectione consentit cum libris  
deterioribus, quos excussit Hosius in apparat. crit. in Iuv. p. 5. Ego  
*est* omisi.

\*\*) *est* habet p, cum ceteris carere haec vocula possum.



115. 4,44. IV 2,13. 3,103. 135. 149. 4,34. 5,45. 6,35. 59. 96. 8,41. Apud *satis* omittitur *est* I 5,8 cf. I 1,169. Ubique pondus aliquod inesse videtur. In eiusdem Statii Silv. libris I—V, quos examinavi, aliae quoque formae eadem condicione ellipsin patiuntur. Formae primae singularis numeri defectus memorandus est I 1,82 *testis ego attonitus*, alterius formae eiusdem numeri I 4,125 *tu . . dignus*; III 4,44 *tu . . ante omnis*; 5,31 *tu . . conscia*; 5,50 *nec minor tu*; IV 5,46 *Italus, Italus*. Ex eadem causa excusationem ducit ellipsis locis, quibus *sunt* deficit: I 1,235 *hinc eques, hinc iuvenum questus, stola mixta laborant*. (in priore parte *queritur* cum Vollmero suppleo). II 2,85. 4,15. III 3,108. Forma *sumus* deest II 1,223: *nos anxia plebes, nos miseri*.

Non praetermittendae sunt omissiones, quas defendere haud ita facile est, nisi ea re excusari possunt, quod adhibentur in enuntiatis graviter dictis. Cogito de v. I 1,78 *semel auctor ego . . . 79 . . tu . . tu . . .*, in quo formae *fui* ellipsin inesse statuo.

*Erat* deficit: I 4,52 *non illud culpa senectae*; II 1,77. 137. 208. 6, 85. *Eras* item semel deesse in Silvis video II 1,70 *tu domino requies portusque senectae*; imperfectum autem supplebis, quod idem tempus v. 72 sequitur. Tertia pluralis numeri supplenda est II 6,23 et III 3,121. III 3,197 *eris* deesse puto, cum sequatur *parebunt* futurum: *tu custos dominusque . . . , tibi . . . parebunt*.

Rarius in Thebaide ellipsin eadem condicione a Statio usurpatam repperi. Librorum I—III sunt exempla haec: 1,7 *longa retro series, si . . . expediam*, quo uno loco libri I *erit* deest. In tertio libro idem semel omittitur eadem condicione 3,481 *Ditior ille animi, cui . . Voculae est* ellipsin in graviter dicto habes: 1,274 *illic Mavortius agnis*; 277 *hic tibi templi (278) gratus honos*; 1,412. 522. 2,5. 51. 102. 114. 289. 296. 337. 462. 498. 611. 689. 3,160. 316. 350. 360. 481.



Forma *sunt* similiter ellipsin passa est: 1,199 *spatiis hinc omnia iuxta*; 302 *Hinc causae irarum*; 2,667. 3,275. 557. 564. Supersunt aliarum formarum omissiones, quae rarius inveniuntur; sic voculae *es* defectum sibi permisit poeta 1,705 *tu doctus*. Etiam formam primam pluralis numeri omitti video 1,191 *Nos vilis in omnes* (192) *prompta manus casus*. 2,186 *nos vero volentes* (187) *expositique animis*.

His versibus addo, qui praeteriti temporis verbum substantivum non habent: 2,463 *sic primus sanguinis auctor* . . . , ubi *erat* subaudio; 3,188 *Hic gemitus Thebis nec* . . . *sonuere*, ubi *fuit* deest.

Futuri ellipsis notari debet 3,481 *Ditior ille animi cui tu* . . . *impuleris*.

### 5) in generaliter dictis.

Vidimus igitur poetas, de quibus verba mihi facienda proposui, nullo excepto in graviter dictis ellipsin adhibuisse. His satis expositis nunc de alia ellipsi pauca dicemus. Primum Georgicon et Aeneidos I—IV exempla, quae habeo, proponam, Catullianum enim non habeo, quod afferam. Georg. 3,244 *Amor omnibus idem*; Aen. 4,569 *varium et mutabile semper femina*. Hae sententiae, quae copula *est* carent, generaliter sive in universum dictae sunt, sententiarumque forma eo adstrictior redditur et efficacior, quod ellipsin admisit poeta. His adnumero ecl. 3,101 *idem amor exitium pecori pecorisque magistro*, in quo versu fluctuant codices.\*) *exitium es R a*, *exitium<sup>e</sup> pecori est (est eras.) γ*, *exitium pecori est b m*, *exitium pecori c χ*, *magist. ro ē c*. Anecdot. Helvet. cum M et P consentit, qui exhibent *exitium pecori*. Ribbeckius in priore editione *est* post *exitium* addidit, in posteriore omisit. Cum sen-

\*) Siglis Ribbeckii utor.



tentia generaliter dicta esse possit, ego quoque vocula *est* opus esse nego. Possis autem etiam eo verbi substantivi defectum excusare, quod in v. 100 *est* praeiit.

Multo vero saepius Ovidium hac licentia usum esse libri docent: Her. 13,103 *nox grata puellis, quarum* . . ; Am. I 9,27 *custodum transire labores vigilumque catervas* (28) *militis et miseri semper amantis opus*. 29 *Mars dubius: nec certa Venus*. Art. 1,275 *utque viro furtiva Venus, sic grata puellae*. Cf. praeterea Art. 1,401; 403; 723; 725; 749; 2,345; 357; 537; 3,103; 155; 249; 765. Met. 9,16. 11,134. 13,846\*. Fast. 1,704. 3,325. 4,270. 866. 5,191. Rem. 96; 405. Ubique *est* omittitur in sententia in univ-ersum dicta. *Sunt ter desideramus*: Art. 1,47 *aucupibus noti frutices*; 3,787 *mille modi Veneris*; Fast. 5,487 *nec viduae taedis eadem nec virginis apta* (488) *tempora*.

Statianum unum habeo exemplum, quod hic commemorem, quod in Silvis occurrit III 3,50 *propriis sub regibus omnis* 51 *terra*, item unum Thebaidos 3,343 *prona fides populis*.

Ac de exemplis quidem Statianis hactenus; transeo ad Iuvenalis, quae huc spectant, omissiones. *Est* deest: 2,8 *frontis nulla fides*. 47 *magna inter molles concordia*; 3,310. 4,8. 5,14. 6,210. 231. 323. 357. 486. 7,105. 145. 228. 8,60. 189. 9,121. 10,31. 227. 232. 11,44. 176. 14,224.

Huc fortasse addendus est v. 1 saturae 7 *et spes et ratio studiorum in Caesare tantum*, quem cum pondere in initio collocasse videtur poeta, contrarius enim est carminis argumento. Ovidium formam tertiam pluralis numeri ter in communi sententia omisisse supra commemoravi. Maior est numerus versuum, in quibus Iuvenalis talem ellipsin adhibere veritus non est, velut 3,183 *omnia Romae cum pretio*; 6,184. 314. 394. 10,23. 203. 12,55.

\*) Hic versus genuinus mihi esse videtur, cf. H. Magnus Fleckeis. annal. 1894 p. 196.



6) in perfecto verborum deponentium.

Iam vero ut veniamus ad alia, Charisius eo loco, quem supra commemoravi, in Vergiliano versu participium pro verbo poni pronuntiavit. Leo l. c. p. 185 de verbo substantivo apud participium omisso disputat. Ritschellius l. c. tales omissiones non apud Plautum inveniri docet. Neque Catulli libellum examinanti talis defectus verbi substantivi mihi obviam venit. In eclogis unum exemplum inest, quod infra afferam, quia fluctuant codices. Separandae autem sunt omissiones apud participium deponentium et passivorum verborum adhibitae. Participium perfecti deponentium (deponentibus adnumero verbum *videri*, ubi idem significat atque *apparere* vel *speciem prae se ferre*) et semideponentium nude ponitur: Georg. 1,466 *ille . . miseratus . .*; 3,113 *Erichthonius . . ausus*; 510 *visa salus*; 4,450\*) *tantum effatus*; 530 *adfata timentem*. His locis *est* deficit, idem in Aeneide deest: 1,283; 325; 452; 475. 2,2 *Aeneas sic orsus*, ubi Charisius monet, quod supra dixi. Servius recte animadvertit „hic coepit, alibi finit (12,806) *sic Iuppiter orsus*“. Adde 2,624. 682. 773. 792. 3,99. 167. 206. 4,456. 632. 705. Quibus locis cum doceamur voculam *est* in perfecto deponentium apud Maronem saepius ellipsin pati, nunc de ecl. 6,49 disputare poterimus. *at non tam turpis pecudum tamen ulla secuta* (50) *concupitus*: sic legit Ribbeckius M et P *secutus*, R γ a b c *est* in fine adiecerunt. Veteres editores *est* opus esse putaverunt. Ego codices optimos sequi malim quam addere *est*, cum veri videatur similis *est* additum quam omissum esse a librariis. Si recte omittitur *est*, eo id referendum erit, quod hoc loco participium perfecti deponentis adhibetur. Addendi sunt loci, qui alia forma verbi substantivi carent in perfecto

\*) Aen. 12,885 eisdem fere verbis *tantum effata* incipit, sed pergitur *contexit*, ita ut *effata* participium coniunctum sit. Verbum dicendi ipsum deest Georg. 4,458 *haec Proteus* in orationis fine.



verborum deponentium: Georg. 1,477 *simulacra* . . . 478 *visa* . . . *pecudesque locutae*, ubi deest *sunt*, quod saepius in Aeneide omissum invenio: 2,167; 3,90; 150; 541; 4,460. Secunda singularis numeri forma in perfecto verbi deponentis omittitur Georg. 3,393 *tu* . . . *aspernata*, eadem forma pluralis Aen. 1,202 *vos* . . . *experti*.

Satis multa de Vergilio disputasse mihi videor, itaque ad Ovidium transeo. Hic quoque poeta participium eadem libertate nudum ponere potuit, quae res ut evidentius appareat, velim contempleris hos versus: Her. 8,68 *vecta* . . . *Hippodamia*; Am. I 13,46 *orta dies*; Art. 2,408; Met. 4,54. 320 *tunc sic orsa loqui* (= 6,28); 5,300; 315. 6,348. 7,517. 8,803 *visa tamen sensisse famem. retroque*, ubi M *famem est* praebet, quod metro non postulatur. Ellipsis Ovidiana esse potest. Praeterea aphaeresin *em est* inferas cavendum est, nam quamquam invenitur (6,67; 627) ingrata est tamen. Semel *vocula est* post accusativum in *em* exeuntem aphaeresin patitur, ubi necessaria non est. Addendi sunt v. v. 12,165. 14,244 *procul hinc, mihi crede, videnda* 245 *insula visa mihi!* verba haec uncinata dat Kornius, quae cur quis abiudicet ab Ovidio, non intellego. 244 *vivendum* prava est Amploniani lectio, h post *videnda* habet *est*, item Neapolitani tertia manus. Omitto *est* cum M et N, Ovidianam ellipsin esse arbitror. Merk. Heinsii codices subsecutus pro *hinc* legit *est*, recentiores editores *hinc* optimorum librorum in textum receperunt. Adde 14,824. Fast. 2,504; 846; 3,788. 4,222; 444; 5,20; 87; 567; 706; 6,661; Trist. II 494. IV 10,45. Pont. II 10,35. Hi sunt loci, quibus *est* omittitur, *sunt* deficit: Met. 13,780 *pecudes* . . . *secutae*; 14,409 *lapides visi*; 15,787 *faces visae*; Pont. II 4,11 *visae* . . . *horae*.

Apparet igitur formae *sunt* ellipsin ut apud Vergilium ita apud Ovidium multo rarius admitti quam *voculae est*.



Iuvenalis paucis locis eiusdem generis ellipsin sibi permisit: 14,164 *merces visa*; 15,39 *occasio* . . (40) *visa*.

Neque apud Statium in Silv. libris saepe voculae est ellipsin eadem condicione positam inveni: I 2,98 *questus Apollo*; 161 *adfata*; IV 6,85 . . *potita* 86 . . *domus*; II 1,90 *Peleus natum comitatus*.

Thebaidos in hoc numero numerabis exempla haec: 1,473. 536. 2,101. 188. 313. 372. 375. 451. 694. 3,496.

Verbi substantivi secunda forma praesentis deficit apud participium deponentium pluribus Silvarum locis I 2,90 *tu* . . . *transgressus*; 212 *ire* . . 213 *visus* (*es* deesse sententiarum conexu docemur); II 1,76 *hinc ortus*; III 3,71 *hinc* . . . 72 . . *passus* (Vollmero hoc loco assentior). Adde: III 5,30; IV 1,33; Theb. 2,656. *Sumus* deficit: Theb. 2,434 *nos* . . . 435 *non indignati*.

Tertiam pluralis formam deesse video Theb. 1,75 *adorti*; 203 *ausi* (204) *caelicolae*; 2,174. 217. 3,38. 561.

### 7) in perfecto passivi.

Neque solum in perfecto deponentium verbum substantivum omitti potest, sed etiam in perfecto passivi. Catullus sane hanc ellipsin sibi non permisit atque ei proxime accedit Vergilius eclogarum poeta. Aliam viam ingressus est in Georgicis; ibi enim omittitur *est*: 1,140 *inventum*; 150 *labor additus*; 476 *vox* . . . *exaudita*. Alias eiusdem generis omissiones non inveni, contra formae sunt ellipsin hic habes: 1,278 *Eumenidesque satae*; 2,350 *iamque reperti*; 416 *vinctae vices*; 3,4 *omnia* . . *volgata*; 4,43 *repertae* (scil. *apes*); 276 *ornatae* . . *arae*.

Praecipue apud *exauditus*, *inventus*, *repertus* participia copula omittitur: id ego explicandum puto ex participii *visus* usu, de quo modo egi; quo exemplo factum est, ut apud haec quoque verba verbum substantiae deficeret.



His addendi sunt: Aen. 1,326 *nulla . . audita . . neque visa* (ubi *est* etiam in perfecto deponentis verbi deest). 513 *percussus Achates*; 623 *casus . . cognitus*. 2,170. 172. 196. 291. 355. 784. 3,495. 533. 4,322. 483. 552. *Est* his locis deficit, voce *sunt* carent versus: 1,730 *facta silentia*; 2,73 *conversi animi*; 170 *fractae vires*; 196 *capti dolis*; 451 *instaurati animi*; 3,137. 4,280.

Alias formas praeter *est* et *sunt* apud participium passivi deesse non vidi in Vergilii carminibus. De Ovidio nunc agatur. Neque hic sprevit talem ellipsin, qui exempli gratia *est* omisit: Am. II 8,12 *Phoebas amata*; III 10,29 *victus . . pudor*; Her. 6,37\*) *devictus serpens*. 8,70 *reddita . . soror*; 12,90 *dextera iuncta*; Art. 1,80. 2,623. 3,460. Met. 4,656. 7,537. 8,235. 11,743. 12,335. 13,304.

His adnumero met. 5,142 *nam Clytiae per utrumque gravis librata lacerto* 143 *fraxinus acta femur*, ubi libri fluctuant: *gravis* b M, *gravi* m L, *gravi est* N, *lacerto est* ε. Cod. ε lectio prae ceterorum sequenda non est. Apud *lacerto* adiectivum desideramus. Qua de causa *gravi* (cod. L.) haberet sane, quo commendaretur, nisi obstaret, quod adiectivum *gravis* nusquam coniungitur cum *lacerto* apud Ovidium. Igitur b et M rectum praebere videntur. Cum H. Magno, qui de hoc loco egit Fleckeis. *annal.* 1894, 646, *lacerto* sine attributo stare potuisse dicendum est. *Gravis* videlicet in *gravi* abiit, cui N, quod verbum substantiae deficiebat, *est* addidit.

Sequuntur Fastorum omissiones in perfecto passivi adhibitae: 2,31. 3,728. 4,863. 890. 5,72. 229. 287. 6,301. 431. 549. 609. Cf. praeterea Rem. 228; Trist. III 9,33. IV 7,10; 10,109; Pont. III 14,16. His locis *vocula est*

\*) Sic hodierni plerique legunt. Libri deteriores *devicto serpente* vel *devictum serpentem* tradunt. Bentleius *restabat serpens* coniecit; ego optimos libros sequor, quamquam cum Sedlmayero prol. p. 79 dubito, num genuini sint v. 31—38, quibus retractantur, quae iam 9—14 dicta sunt.



omittitur, reliquum est, ut de tertia pluralis numeri forma disseramus. Versus, qui carent ea voce, hi sunt: Art. 2,574 *cognita ... acta*; Met. 4,560 *pars ... factae*; 14,297 *dextracque datae*; Fast. 3,440. 4,52. 54. 113. 834. 5,630. Semel formae *sum* defectus notandus est: Trist. 2,496 *repertus ego*.

Etiam Statius *est* deficere passus est in perfecto passivi: Silv. I 2,58 *fixa voluntas*; 229 *emissa quies*; 4,75 *permissum*. 112 *refectus Telephus*; II 1,55. III 1,46. 3,52. 64. 112. 162. IV 3,37. 5,22. 6,40. 6,75. 7,37. Theb. 1,163. 222. 246. 594. 2,71. 125. 146. 172. 536. 3,521. 623.

Rarius eundem quoque poetam *sunt* carere potuisse his locis doceberis: Silv. I 5,34 *admissae Thasos aut ... Carystos*; II 2,152 *expositi census*; III 5,75 *condita tecta*; Theb. 1,125. 471. 591. 2,250. 671. 3,92. 157. 382.

Uno tantum loco *es* apud participium, quatenus vidi, deficit Silv. III 3,59 *transmissus*, ubi *es* subaudiendum esse sententiarum conexus docet.

Eandem licentiam usurpavit Iuvenalis, in quo monendum est non inveniri nisi voculae *est* ellipsin hac condicione adhibitam, quam habes: 5,40 *custos adfixus*; 10,129 *ille .. genitus*; 243 *haec data poena*; 13,9 *casus .. cognitus*.

### 8) apud gerundivum.

Hactenus de perfectis deponentium et de perfectis passivi! Facilius excusatur defectus verbi substantiae, si apud gerundivum extat.

Huius modi ellipsin apud Catallum quidem non observavi neque in eclogis Maronis.

Contra in Georgicis extat: 1,160 *Dicendum et ...*, quibus verbis ad novum argumentum transitur. Similiter deest: 3,294 *nunc, veneranda Pales, magno nunc ore sonandum*, ubi poeta narrandi quadam sublimitate utitur, 2,363 *parcendum teneris* et 365 *ipsa acie nondum falcis temptanda* verba sunt poetae, qui, quid anni temporibus sit



faciendum agricolis, breviter, ut fieri solet talibus in praescriptis, exponit.

Idem cum de cultu et curatione apium agit, praecipit 4,8 *Principio sedes apibus statioque petenda*; 37 *utraque vis apibus pariter metuenda*. Praeterea est ellipsin patitur 4,396. In praeceptorum illorum numero pono etiam 1,178 *area cum primis ingenti aequanda cylindro*,\*) quae verba de agricultura accipienda sunt.

Huc quoque pertinet 2,418 *sollicitanda tamen tellus pulvisque movendus*, 419 *et iam maturis metuendus Iuppiter uvis*. Formam sunt eadem condicione omisit poeta 2,371 *texendae et saepes etiam et pecus omne tenendum*. 3,305 *haec quoque . . . tuendae*. In v 2,365, cuius supra commemorationem feci, pergitur *sed uncis (366) carpendae manibus frondes interque legendae*.

In Aeneidos I—IV haec exempla occurrunt: 2,780. 3,384. 385. 495, qui omnes *vocula est* carent. *Sunt deesse* invenio: 2,118. 3,161. 497.

Ex hoc numero esse contendo exempla Ovidiana haec: Art. 1,4 *arte regendus Amor*. 2,338. 668. 3,48; 234; Met. 1,659. 3,715. Fast. 3,544. 4,665. 5,494. Trist. 2,208. Pont. I 2,144 *proxima pars vitae transilienda meae*. Hoc loco CDF β (Kornii) *meae est* habent. Hilbergius poetam, ut in fine versus aphaeresin *ae est* evitaret, verbum substantivum omisisse censet. Id quamquam spernendum non est, tamen altera causa negligenda non est, quod scilicet gerundivum ponitur et ellipsi gravitas quaedam infertur. *Sunt rarius deest* apud gerundivum: Medic. 84 *omnia danda*; Pont. II 2,93 *Sauromatae . . . videndi*.

Iuvenalis paucis tantum locis hac ratione verbum substantivum vitavit: 1,133 *caulis . . . emendus*, cf. 2,182. 8,121. His locis *est* deficit, tertia pluralis numeri 16,43

\*) *cylindro* MR γ b e, Charisius, Isidorus habent, *cylindro est* P. Sed cum teste Ribbeckio a m. 2, *est* additum sit, ego ceterorum lectionem probo.



.. *ferenda* (44) *taedia*. Si contuleris huius ellipseos usum cum iis, quae supra in perfecto deponentium et passivi observavi, concedes multo rarius admitti verbi substantivi defectum in gerundivo a Vergilio, Ovidio, Iuvenale.

Neque Stadius alia utitur ratione; nam in uno *Silvarum* versu adhibuit voculae *est* ellipsin IV 7,33 *orbitas .. fugienda*, item semel *sunt* deest IV 7,10 .. *capienda* (11) *serta*.

### 9) in enumeratione et descriptione.

Ad alia exempla, quae sunt in sententia recta, me verto. Locum Catullianum propono 22,6 *chartae regiae novae libri*; (7) *novi umbilici*; *lora rubra membranae*; (8) *et recta plumbo et pumice omnia aequata*.\*) Vides Veronensem hoc loco verbum omisisse, quod quibus de causis fecerit facile intellegitur. Calculus enim inest in verbis nec quisquam poetae opprobrio vertet, quod in enumeratione sprevit formam *sunt*. Enumerantis quoque esse possunt verba 57,6 seqq. *morbosi pariter gemelli utrique*, (7) *uno in lectulo erudituli ambo*, (9) *non hic quam ille magis vorax adulter*, (10) *rivales socii et puellularum*,\*\*\*) in quibus *sunt* deesse statuo.

Vergilii similem locum habeo: ecl. 7,49 *hic focus et taedae pingues, hic plurimus ignis* (50) *semper et adsidua postes fuligine nigri*, ubi *sunt* excidisse puto. Eadem ratione defendere liceat 3,40 *in medio duo signa Conon — et quis fuit alter —*, quae verba quasi describentis sunt. Plures omissiones adhibentur in *Georgicis*, quae quamquam non sunt eiusdem generis, tamen similitudinem quandam habent. Diversis versibus, quibus agitur de locorum, arborum, animalium natura, verbum

\*) Sic legendum esse mihi persuasit Th. Birtius in lib., qui inscribitur *Antikes Buchwesen*, p. 68 sq. et *Die Buchrolle in der Kunst* p. 242.

\*\*) Sic interpango cum Th. Birtio *mus. rhen.* 51,469; cum eodem *Phil.* 63, 461 *liborum et post socii* recepi.



substantiae deest. Ibi enim poeta describentis munere fungitur vel eius, qui rerum proprietates proponit, quod genus loquendi enumerationis simillimum est. 1,237 *has inter mediamque duae* . . , ubi quinque zonarum descriptionem dat, Vergilius *sunt* omisit. *Est* deest 1,242 et 2,149, *sunt* 2,150. Eius, qui de arborum natura agit, verba haec sunt 2,83 *Praeterea genus haut unum nec fortibus ulmis* (84) *nec . . . neque . . .* 87 *nec surculus idem* (88) *Crustumis Syriisque . . que . .*, 191 *hic fertilis uvae*, (192) *hic laticis*. In eodem libro de malo verba facit: 131 *ipsa ingens arbos faciemque simillima lauro* (scil. *est*); 133 *folia haut ullis labentia ventis* (scil. *sunt*); 134 *flos ad prima tenax* (*est*). Quod forma *sunt* omittitur, eadem de causa excusari potest 2,112 et 116. Neque solum in arborum, sed etiam animalium naturae descriptione invenio ellipsin verbi *esse* 3,51 . . *optuma torrae* (52) *forma bovis, cui . . .* 54 *tum longo nullus lateri modus; omnia magna*, (55) *pes etiam; et camuris hirtae sub cornibus aures*. Hisce locis de boum natura agitur. De aetate intellegendusest 3,62 *cetera nec . . habilis nec fortis . .* Equus describitur v. 79 *illi ardua cervix* (80) *argutumque caput, brevis alvos obesaque terga*, quo loco semel *est* supplere sufficet. 81 . . *honesti* (82) *spadices glaucique, color deterrimus albis et gilvo*, quibus in verbis descriptio inest. Neque admirationi esse debet Vergilius, quod 86 *est* evitavit *densa iuba et dextro iactata recumbit in armo*. V. 89 ad equos quosdam transit poeta, qui, quas laudavit virtutes, possident: 89 *talis . . .* (90) *Cyllarus et . . .* (91) *Martis equi . .* Suppleo *est* v. 89 aut *sunt* 91. Primum dubitavi, utrum praesens an imperfectum tempus subaudiendum esset. Sed v. 92 *effundit* sequente praesentis ellipsin statuendam esse arbitror. Etiam v. 97 poeta, qui naturam equorum perspexit, loquitur *frigidus in Venerem senior*.

In lib. IV etiam tales ellipses inveniuntur, velut 80 *non densior aëre grando*. Verba v. 100 testantur eum,



qui apium naturam observavit *haec potior suboles*, 184  
*omnibus una quies operum, labor omnibus unus*. V. 215 de  
rege apium agitur: *ille operum custos, illum admirantur* . . .

His locis paucos adnumerabis, qui sunt 3,356.  
500. 4,205. Aeneidos lib. I—IV hunc versum inveni, in  
quo calculus inest: 1,639 *arte laboratae vestes ostroque  
superbo*, (640) *ingens argentum mensis caelataque in auro*  
(641) *fortia facta patrum, series longissima rerum* (642)  
*per tot ducta viros antiqua ab origine gentis*. Praeterea  
conferas 1,703 et 705. Porro describentis sunt: 1,110  
*dorsum immane mari summo, tris* . . .; 166 *fronte sub adversa*  
. . . . *antrum*, (167) *intus aquae dulces vivoque sedilia saxo*,  
Adde 3,216. 426. 570. 593. 618.

Ovidiana haec exempla afferre possum: Her. 5,41  
*caesa abies sectaeque trabes*, in quibus verbis enumeratio  
inest atque *est* subaudire sufficiet. Am. II 16,7 *terra  
ferrax Cereris, multoque feracior uvis* velut in descrip-  
tione omisit *est* Ovidius. Calculus inest in Fast. 1,553  
*dira viro facies, vires pro corpore*, (554) *corpus grande*  
555 *proque domo . . spelunca . . ingens*, ubi semel  
*est* suppleo. Similis est Trist. V 7,17 *vox fera, trux  
vultus, verissima Martis imago*: (18) *non coma, non ulla  
barba resecta manu*: (19) *dextera non segnis fixo dare  
vulnera cultro* . . . Restant versus Fastorum, quibus causa  
alicuius rei affertur. Verba sunt poetae quasi enumerantis  
et ad proxima properantis. 1,643 *causa, quod* (= 3,812);  
645 *causa recens melior*; 2,329 *causa: repertori* . . . Huc  
quoque refero Pont. III 5,48 *gratia quod menti quolibet ire  
licet*, quo versu omnes libri *quod* habent, praeter Vaticanum,  
qui *dis* habet, quod omnes editores receperunt. Ehwal-  
dius mea quidem sententia in libelli, qui inscribitur  
Kritische Beiträge zu Ovids Epistulae ex Ponto (Gotha  
1896), p. 59 *quod* legendum esse recte demonstravit. His  
locis *est* deest; idem 6,239 *fasta dies illis, qui* in verbis  
describentis desidero.



Iuvenalis quoque in enumeratione verbum substantivum neglexit 2,110 *hic nullus verbis pudor ac reverentia mensae*, (111) *hic turpis Cybeles et fracta voce loquendi* (112) *libertas et crine senex fanaticus*... Eadem ratione 1,43; 3,73; 5,56; 9,12 praesentis temporis defectus adest; *sunt* deest 1,41. 11,110 *erant* ellipsin patitur, 111 tertia singularis eiusdem temporis deest. Idem desideratur 6,107, sed addendum est, quod ibi in v. 109 sequitur verbum substantiae, quam ob rem facilius *erant* deficere potuit.

Statii Silvarum huc referas II 6,38 seqq., ubi in calculo praesentis ellipsis occurrit. In descriptione verbum substantivum omissum est III 5,85 *pax secura locis et desidis otia vitae* (86) *et nunquam turbata quies somnique peracti*. (87) *nulla foro rabies aut strictae in iurgia leges*: (88) *morum iura viris solum et sine fascibus aequum*. Satis erit v. 85 *est*, 87 *sunt* supplere, etsi unus quisque versus caret verbo. Addendi sunt loci: IV 2,18. 30. Theb. 1,107. 273 seqq. 277. 414. Tertiam singularis numeri formam suppleo his locis, eandem pluralis personam subaudias 199 *Spatiis hic omnia iuxta* (200) *primaque occiduaeque domus et fusa sub omni* (201) *terra atque una die*, ubi Lactantius Placidus recte adnotat „orientis occasusque loca describit“. Theb. 1,147 *erant* deesse puto in enumeratione.

#### 10) in definitionibus.

Nunc ad alias omissiones, quae supersunt, in sententia recta adhibitas transeo. Non pauca exempla, quae definitionem continent aut certe definitionum summa similitudine utuntur, verbo substantivo carent, ut Ecl. 3,80 *Triste lupus*...; 82 *dulce satis umor*...; 5,45 *tale tuum nobis carmen*... (46) *quale sopor fessis*, quo loco et in recta et in relativa sententia *est* deest; idem suppleas locis antea laudatis. Eiusdem generis sunt exempla:



Georg. 2,73 *nec modus inserere simplex*; 3,224 *nec mos . . stabulare*; 4,6. 106. 358. Aen. 1,206 *fas regna resurgere*; 2,354. 719. 779. 3,165 *fama minores (166) . . dixisse*; 4,94. 113. 350. Omnibus his locis *est deest*, item apud Ovidium Her. 3,144 *nec tibi magnificum femina iussa mori*; 5,97 *turpe rudimendum patriae praeponere raptam*; Am. I 4,9 *nec mihi silva domus*; 9,4 *turpe senex miles, turpe senilis amor*. 10,39. 40. 41. III 13,5. Fast. 1,532 *hanc fas . . tenere*; 3,811 *nec fas concurrere*; 4,657. 5,625 *fama vetus tunc . . dicta fuisse*; Trist. II 503. III 6,27; 12,41; Rem. 626 *utile . . . abstinuisse*; 659 *turpe vir et mulier, iuncti modo, protinus hostes*.

Definientis etiam esse possunt: Iuv. 15,9 *porrum et caepe nefas violare . . .*; 12 *nefas illic fetum iugulare*. Adde Stat. Silv. I 3,96. 4,75. IV 3,97. 40; Theb. 1,522. 2,86. 168. 3,582. 591. 615. 627.

Fortasse his adiungere licet versus, in quibus *erat* eiectum est: Theb. 3,561 . . *silvas amor unus humumque (562) edomuisse manu*; *quid crastina volveret aetas, (563) scire nefas homini*.

#### 11) omissiones, quae ex argumenti tractatione excusationem habent.

His absolutis ad alia progredior. Restant omissiones Vergilianae, quae ipsa argumenti, quod sibi proposuit poeta, tractatione defendi possunt. In fastis, ut ita dicam, ea ratio teneri solet, ut diebus singulis vel certis anni temporibus, quid sit faciendum, breviter adnotetur; decebat igitur elegantem poetam hanc brevitatem adnotationis imitari spreto verbo substantivo. Hac igitur Vergilius poeta ratione utitur, ubi paucis de plantarum cultura agit et agricolis praecepta dat: Georg 1,79 *sed tamen alternis facilis labor*; 215 *vere fabis satio*.\*) 286 *nona*

\*) Seneca ep. 86,16 *est* addidit, ego codices Vergilianos sequor.



*fugae melior, contraria furtis*; 299 *hiemps ignava colono*. Cf. praeterea: 2,205. 275. 319. 323. 3,286. *Hic est deficit, sunt autem spreuit poeta* 1,101 *hiberno laetissima pulvere farra* et 341 *tum pingues agni et tum mollissima vina*, (342) *tum somni dulces densaeque in montibus umbrae*, ubi Vergilius vertit Hes. op. 585 τῆμος πύσταται ἀίγες καὶ κίως ἄριβτος. Aen. 2,30 *classibus hic locus, hic acie certare solebant* omittitur *erat*, quae durities eo mitigatur, quod sententia, quae caret verbo, cum sequenti, quae novum dat praedicatum, arte coniungitur. Similiter Aen. 4,365 *est* evitatur. Georg. 4,141 *illi tiliae atque uberrima pinus* (142) *quotque in flore novo pomis se fertilis arbor* (142) *induerat, totidem autumno matura tenebat*; ex v. 143 apparet v. 141 *erant* deesse. Prior sententia arte adiungitur posteriori, qua novum verbum affertur.

Ovidianaorum versuum maior est numerus, in quibus talis ellipsis admittitur, in quo nihil fere refert, utrum antecedit an sequatur sententia, cui adiungitur ea, quae verbo caret. Her. 9,33 *vir mihi semper abest et coniuge notior hospes*, ubi fortasse ex composito *abest simplex est* subaudiri opus est. Met. 1,266 *barba gravis nimbis, canis fluit unda capillis* (*est* suppleo cum Siebelisio); cf. 2,776.

6,519 *iamque iter effectum iamque in sua litora fessis* (520) *puppibus exierant*. L habet *effectum est*, N *affectum est* (*est* addidit n). Codici N multum momenti tribuendum erit, cum n, non N addiderit *est*. Librarii errore *affectum* ortum est. *Est* omitto, *erat* enim supplendum puto v. 519 propterea quod plusquamperfectum subsequitur.

Adde Met. 6,588 et Fast. 6,414, qui loci *est* non habent. Fortasse huc etiam referenda sunt Statiana nonnulla, velut Silv. III 3,172 *iamque in fine dies et...* (173) *deficit*; III 5,14 *lascivia corde* (15) *nulla nec... mulcent... Priore loco sunt, posteriore est desideramus*, quod idem deficit IV 1,41 et 4,41. Tres loci memorandi sunt,



qui carent perfecto *fuit* II 1,119. III 3,133. 146. Formam *erant* omissam inveni IV 3,32. Theb. 1,51 *sunt*, 246 *fuit*, 393 *erant* hac condicione deficere video.

## 12) duriores omissiones.

Omnibus locis, quos adhuc tractavi, certae condiciones statui poterant, quibus fieri potuit, ut omitterent poetae verbum substantiae. Apud Statium duriores ellipses nonnullas occurrere inter eas, quas enumeravi, non nego, attamen eas his aut illis exemplis legitimis adnumerare poteram. Restant vero Silv. lib. I—IV et Theb. I—IV, quos examinavi, versus, quibus etiam durior inest ellipsis, velut: Silv. I 2,117 *haec . . . digna* 118 . . . *et potuit* (117 *fuit* deest); 257 *tecum similes iunctaeque Camenae* (258) . . . *bacchamur* (257 *sunt* deficit). II 1,126 *iam tamen et validi gressus mensuraque maior* (127) *cultibus et visae decrescere vestes*: ubi v. 126 *erant*, 127 *sunt* apud perfectum deponentis supplere debemus.

*Est* durius omissum est Silv. II 7,31; III 5,71; 5,78; *sunt* IV 5,9. 53; *sum* III 5,109; *eras* III 3,160; *erat* II 6,52; III 3,43; *fuit* II 6,92; III 3,83.

In Theb. durius eicitur est 2,591 *arma premunt nec vis conatibus ulla* et 3,482\*) *mirum unde, sed olim* (483) *hic honor alitibus*.

## Appendix de locis dubiis.

Atque haec quidem de ellipsi in locutionibus quibusdam et in sententia recta obvia. In tertia parte, cum iam antea de locorum complurium locis dubiis iudicium tulerim, id negotium continuare mihi proposui. Plurimis autem locis factum est, ut unus vel alter codicum a ceteris

\*) *olim* BM habent, *olĩ s P* (teste Muellero). Ego malim omittere *est* quam aphaeresin inferre, qualem apud Statium non inveni.



dissentiat, quos omnes tractare longum est, quam ob rem hic non agam nisi de eis exemplis, quae sunt graviora, ne nimis augeatur libelli ambitus. Multos igitur versus, in quibus viri docti inter se consentiunt, omittere non dubitavi, sed eos, quibus inter se differunt, quatenus opus esse mihi visum est, omnes exhibebo. Quod ad sententias attinet, quibus utrum contineatur ellipsis necne dubitatur, notandum est hic non tractari nisi eas, ad quas spectant disputationis nostrae duae partes, quas solas imprimendas dedi.

Primum de Catullo disseram. 23,27 *satis beatus V* exhibet. Ego cum editoribus *sat es* legere malim quam *beatu's*, quod Bergkius proposuit, quamquam fortasse obici potest Catullum semper *satis*, nunquam *sat* adhibuisse. Ellipsis certe durior esset, si codices sequerer, neque si cetera exempla confero, talem sibi permisisse poetam video. 39,9 V praebet *monendum est mihi*. Poeta Egnatium adloquitur et significare vult illum a se monendum esse. In verbis, quae V habet, desideratur vocula, quae spectet ad Egnatium. Qua re Spengelius *te* intulit ante *est*, Baehrensius autem idem legi vult post *est*. Neutra mihi placet coniectura. Riesio concedo exempla esse, quibus accusativus apud gerundivum ponatur neque cum raro talia inveniantur, mutari opus esse exemplum, quale est Priap. 68,4, quo nisus Ellisius (ed. 1867) *quare monendum te mihi* legit. Attamen eum sequi vetor, cum Veronensis poeta rarissime ellipsin sibi permiserit. Medela opus esse inter omnes constat, sive *te* post *est* sive ante *est* inferunt. Ellisii apparatus introspectanti mihi Burneiani lectio obviam venit, qui saeculo XV. scriptus *mouendus es* exhibet. Hac lectione usus *monendus es* in textum recipio, quod mihi eodem iure adhibere videor, quo ceteri *monendum te est* aut *monendum est te* efficiunt. 38,2 cum Silligio et Th. Birtio (Phil. 63,464) *et est* praefero Lachmannianae lectioni *ei et*.



64,184 *nullo litus sola insula tecto* libri exhibent. Alii servaverunt hanc lectionem, alii commutaverunt velut Baehrensium, qui sibi transponendo locum sanavisse videbatur: *litus solum, sola insula tecto*. Weisius proposuit *nullo litus, nullo insula tecto*, Ramlerus *litus solum nullo insula tecto*. Th. Birtius, magister noster, nuper in Mus. Rhen. 59,423 *laeta est* coniecturam dedit, quae habet quo commendetur; ita enim praedicatum, quod desideramus, infertur.

111,2 *laus est laudibus eximiis* codd. praebent. Scaliger legit *laus e laudibus eximiis*, Baehrensium *eximiis in e nimis* commutat servato *est*, quod equidem malim quam inferre ellipsin, quam raro adhibuit poeta.

Haec fere de Catulli lectionibus adnotanda erant, ad Vergilium venimus. In Georgicis semel Ribbeckii interpunctionem mutandam esse censeo. Totum locum afferam: 1,121 *pater ipse colendi (122) haud facilem esse viam voluit primusque per artem (123) movit agros curis acuens mortalia corda (124) nec torpere gravi passus sua regna veterno*. Mea quidem sententia comma illud a Ribbeckio in fine v. 123 positum supervacaneum est. Nam *passus* participium coniunctum optime esse potest atque comma tollendum est, ne verba *nec . . . veterno* in principali sententia, cuius verbum substantiae desit, poni videantur.

His Vergilii versibus absolutis de Ovidii locis, qui sunt graviores, agam. Unum quemque enim locum tractare longum mihi visum est, ne nimis augeatur opusculum meum.

Her. 2,53 *quid iam tot pignora nobis?* Riesius sic legit; in verbo primo libri fluctuant. *quod* a m. 1, *quid* a m. 2 P, *quid* G E ω, quo Heins., Merk., Sedlmayer, Ehwaldius; ego quo cum editoribus plerisque adhibeo, quod optimus P habuisse videatur. Pro *nobis* in o *prosunt* exhibetur; hanc eius coniecturam esse veri simile est, qui cum ver-



bum desideraret, sententiae mederi voluerit. Si *quo* legis, ellipsis non adest, regit enim accusativum, id quod ex multis locis apparet. 14,65 *quo bellica tela puellae?* G o habent, *quid* P V d, ego cum Sedlmayero (proleg. p. 50) *quo* retineo.

11,61 *fratris nam nupta futura* (62) *illius, de quo mater, et uxor eris.* sic Ries. legit. *fratri es nam nupta futura* a m. 2 in marg., prim. eras. P, *frī nā nupta fu τ a es* Go, *frī na nupta |||| ē V, nam fratri nupta futura es* vel *es fratri nupta futura* vel *germano nupta futura es* o. Diversis lectionibus fit, ut varient editores: *germani nupta futura es* Bentleius, *fratri nam nupta futura es* Merk., *fratri es nam nupta futura* Sedlm., *germano nupta futura es* Ehwald. legunt. *germano* non ponendum puto, quod deteriores habent libri. Sed *fratri nam* num servandus est? Equidem genetivum mallet cum Riesio neque *es* inferendum erit post *fratri*, cum aphaeresis *-i es* rarissime inveniatur. *es* autem post *futura* infero, cum codices praeter P habeant. In sententia relativa voculae *es* defectus excusatur, cum antecedit idem in recta.

Restant versus nonnulli, in quibus Hilbergii sententia respicienda est. 14,86 in fine *est* additur in o. Hilb. p. 402 ea lege ductus, qua brevem *ā* in fine pentametri ab Ovidio evitatum esse censet, *est* intulit. Editores vero omnes omittunt. Equidem quamquam sunt loci, ubi bis in pentametro ponitur *est*, tamen cum o introducere non ausim. o enim codices saepius in vocula *est* erraverunt. Idem Hilbergius Ovidium in pentametro ipso voculam *est*, nisi metrum adiuvet, evitasse vult et p. 407 cum o *est* eiecit 12,74 *inque tua est vitaeque morsque tua* et 8,8 *sub domino est, Pyrrhe, puella suo*, ubi omnes libri, si Sedlmayero fides habenda est, *est* praebent praeter G, in quo m. 2 supra lineolam habet. Sed ellipsin introduci praeter necessitatem opus non est, praesertim cum optimi libri *est* habeant.



Am. I 1,15 *an quod ubique tuum est? tua sunt H. T.?*, ubi *tuum* Merk., *tuum est* Parisinus R, Ries., Ehwald. habent. Optimo codice *duce est infero*, quamquam facile omitti potuisse existimo. 6,46 *heu, melior quanto sors mea sorte tua est*. Cum Hilbergio *est infero*. Conferendi sunt Fast. 4,520 et Trist. V 4,4. — II 1,33 *at facies tenerae laudata saepe puellae* (34) *ad vatem, p. c. ipsa venit*: sic PS habent, quod metro non sufficit. In v. 23 exprimitur „postquam laudata est facies puellae“, quod Ovidium ablativo absoluto *facie laudata* Nic. Heinsius et plerique, qui eum subsecuti sunt, significasse volunt. Ehwaldius alia ratione metrum sanavit. *Facies* codicum servat, *at* lenissima correctura in *ut* commutat, post *laudata* infert *est*. Quae correctura mihi quidem magis placet quam ceterorum.

Am. II 2,29 *ille placet versatque domum neque verbera sentit*, (30) *ille potens; alii...* Sic cum Muellero (ed. 1861) interpungo; ceteri *sentit*: (sic interpungentes) exhibent.

Am. I 7,20 *est*, quod codices habent, cum Hilbergio (p. 407) eicere non potui. I 10,43 *gratia pro rebus merito debetur inemptis*; (44) *pro male conducto gratia nulla loco*. Hilbergius p. 421 v. 44 in exemplis ponit, ubi Ovidium, ne rima laederetur, *est* omisisse censet. Unde concludo eum voculae *est* ellipsin statuere, quod mea quidem sententia falsum est. Facillime enim ex versu, qui antecedit, *debetur* suppletur.

I 10,14 *Nunc mentis vitio laesa figura tua est* omnes libri et editores habent. Hilb. p. 407 *tuae* legi vult, quod in *tua e*, *tua est* commutatum sit. Quam coniecturam necessariam esse mihi non persuasit, immo cavendum puto, ne ellipsis inferatur. III 4,2 *idem est* proscripsit, ubi ego codicum lectionem retineo, item 7,24.

III 2,84 *hoc satis est* PS, *hoc satis hic* Heins., Merk., Ries., *his satis est* Ehwald. legit. *est* servandum puto cum PS, *hoc* quoque legi potest, si interpungitur post *est*



commate, ita ut ex sequentibus loco suppleatur. Legendum igitur est *hoc satis est, alio cetera redde loco!* 10,20 est post *Crete* cum Hilb. contra codices inferre non audeo.

Art. 2,381 *coniugis admissum violataque iura marita est* (382) *barbara . . . ulta . . .*, ubi *marita* ē (i. e. *marita est*) R m. 1, *mariti* m. 2 habet. *maritae* legit Merk., Ries., *marita* coniec. Kochius symb. phil. Bonn. p. 335 cf. Her. 12,87. *maritast* Ehwaldius praebet, cui applaudo, cum R idem habeat.

3,799 *infelix, cui . . .*, *puella est*, ubi *puelle* R habet, Merk., Edwards. *est* omittunt, Ries., Ehw. ponunt. Difficile dictu est, quid scripserit Ovidius. Omittere enim potuit in exclamatione verbum substantiae, attamen ceteris locis (Am. II 5,9; 9,39; 10,29; 11,30) *est* locum in versu non habebat, qua de causa hic cum optimo libro infero. 1,98 et 2,390 ut homoeoteleuton efficiatur Hilb. omittit *est*; quem sequi contra codicum lectionem non possum.

Idem Rem. 53 *utile propositum est saevas exstinguere flammam eiecit est*, quod iniuria factum est; ut in v. v. 119 et 703 ponendum erit, etsi metro non postulatur.

Rem. 78 *utraque tutelae subdita cura tuae est* Merk., Ries., Ehwald. legunt, Heins., Iahnus, Hilb. p. 406 *est* omittunt; ego ponere iubeor codicibus, cf. Ibis 378.

Ad eiusdem Ovidii Metamorphoseon libros venimus. Primum de nonnullis locis interpungendis disputabo 1,314 *terra ferax, dum terra fuit, sed tempore in illo* (315) *pars maris et*, ubi Riesius post *fuit* punctum posuit, ego comma ponendum esse censeo, ut in sequentibus appositio insit.

1,526 . . . *reliquit*, (527) *tum quoque visa decens* sic interpungo. Riesius punctum habet post *reliquit*. Ellipsin autem statuere commate posito opus non erit.

Versus 11,293/4 cum R. Helmio (Mus. Rhen. 56,356) Ovidianos puto; in sequenti v. 295 Riesius post *Daedalion* gravius interpungens *illo* voci crucem adpinxit. Ego cum Kornio comma pono *illo genitore creatus* appositionem esse ratus.



1,15 codices titubant: *utque erat et tellus, illic et pontus et aer* B (ernense fragmentum) (cf. Magnus, Fleckeis. ann. 1891, 700); *quaque erat et tellus illic et pontus et aether* M (*quaque* in ras.); *atque ubi erat t.* N ζ; *ut qua erat et t.* L ε. Cum H. Magno, qui de hoc versu diligentius egit in Fleck. ann. 1887 p. 131—137, facere non possum, quin legam *utque aether, tellus illic et pontus et aër*, qua in lectione nititur Porphyrius ad Horat. carm. III 4,29 testimonio. 1,15 igitur ellipsin infero et *erat* suppleo, quod facile deesse potuit, cum in v. 6 idem antecedit, v. 16 sequatur. — 1,732 *queri est* L habet, ceteri *est* omittunt. Locum si protulero *visa* participium coniunctum esse posse concedes: (729) *procubuit genibus resupinoque ardua collo*, (730) . . . *tollens . . vultus* (731) *et gemitu et lacrimis et luctisono mugitu* (732) *cum Iove visa queri . .* Adde, quod *est* post infinitivum, qualis est *queri*, aphaeresin non patitur nisi semel 2,829 *loqui est*. Merkelium igitur, qui *est* adhibet, sequi non possum. — 4,17 *iuventa est* M, omisso *est* L et ε, *iuventus* N tradunt. Quid legi debeat, difficile dictu est. Pro *iuventa* facile, quod usitatus est, *iuventus* in textum Neapolitani introduci potuit. Non satis igitur apparet, utrum correctum sit *iuventa est* an *iuventus*. Tamen mihi veri videtur similis *iuventa est* in *iuventus* commutatum esse quam *iuventus* in *iuventa est*. Quare codicis M lectionem sequor, cum L quoque *iuventa* habeat. Ovidius utraque forma utitur et in *us* et in *a* exeunti, ut Metam. exempla proferam 6,719 *iuventae*, 10,84 *iuventam*, 10,316 *iuventa*. 3,124; 7,514; 765 *iuventus*. 7,299 *senecta est* in fine versus habes, ubi in eodem L idem *est* desideratur.

5,260 seqq. legitur *quaecumque est causa videndi* (261) *has tibi, diva, domos, animo gratissima nostro*, (262) *vera tamen fama est*, ubi *nostro est* LN habent, M omisit *est*. Hemistichium Homeri ἐμῷ κεχαρισμένε θυμῷ expressit Ovidius eodem fere modo, quo Vergilius Aen. 12,142 verbis in fine versus positus *animo carissima nostro*. Qua de causa



Kornii lectio commendatur, qua post *nostro* nihil addit. Eum sequor et interpungo post *nostro* commate. Tritonia, id est Minerva, postquam in Heliconem advenit, cum Musis communicat se venisse, ut fontem, quam Pegasi ungula ortum audivisset, viseret. Urania respondet *vera tamen fama est*, scilicet qua fons ortus esse dicitur Pegasi ungula. Verbis *quaecumque est . . .* hoc fere dicere voluisse videtur: „mea non interest, qua de causa veneris“ atque id in sententia subaudiendum esse puto. Tum optime pergitur verbis *vera tamen fama est*. Ego igitur *an. gr. n.* appositionem vocis *dea* habeo ut apud Homerum et Vergilium. Principalis denique sententia verbis *vera tamen* incipit, secundaria usque ad *nostro* pertinet. Merk. gravius interpunxit, mea quidem sententia iniuria. Heinsius, quem Ries. et Hartmanius (Mnemosyn. 1890 p. 193) sequuntur, *nostro es* legit, quae lectio mihi displicet, quia *es* post *o* aphaeresin pati non inveni in Metamorphoseon libris.

5,329 *corvo est* O, L, ε, fragm. Londin. habent, nisi quod in M et fragm. Londin. *corvo* ex *cervo* correctum est. Editores omnes fere illud *est* proscrisperunt, quod unus H. Magnus (Herm. 39,34) adhibet. Sequuntur verba *proles Semeleia capro*, (330) *fele soror Phoebi*, *nivea Saturnia vacca*, (331) *pisce Venus latuit*, *Cyllenius ibidis alis*, de quibus vir doctus ille haec dicit commate post *corvo est* posito „Dazu (scil. *i. c. e.*) gehören mit Ergänzung von *in* die folgenden Ablative; erst 331 ist *pisce* und *ibidis alis* mit *latuit* zu verbinden.“ Sed cur in verbis post *corvo est* positis *in* supplendum est? Nonne eodem iure *latuit* inde a *pr. S. c.* subaudire possumus? Equidem hoc veri puto similis quam *in* praepositionem ex antecedentibus supplere. Post *corvo* igitur gravius interpungo: *corvo est; proles . .*

7,361 m. 1 versum in margine affert in M et *harena est* habet, idem exhibet N; L *est* omisit. Fidem codicis L parvam esse, quod ad formam *est* attinet, concludo ex



locis velut 1,226; 274; 3,136. Riesio igitur et H. Magno (Herm. 39,34) applaudo, qui *est* legunt, cui Merk. et Korn. civitatem non dederunt.

7,410 *est via declivis . . .*, ubi *est via* O ε, et *via* L habet. Utrumque et *est* et *et*, quod ad sensum et metrum pertinet, stare potest. Cum codicibus, qui maiore fide fruuntur, *est* pono, quod H. Magnus in Fleck. annal. 1894 p. 200 defendit.

9,233 tractavit Magnus (Herm. 39,33) et cum M legit *satum. quo flamma ministro est* (sic interpungens). Mea quoque opinione argumentum illud, in quo incenditur rogos, in sententia recta, non subordinata afferendum erat. Magnus autem Riesii sententiam neglexit verba faciens „Die Vulgata macht aus dem Kolon *quo . . . subdita* einen Zusatz zu *Poeante satum* mit Ergänzung von *est.*“ Ries. enim ante *quo* gravius interpunxit, qua de causa *quo . . .* in sententia recta posuisse et *est* supplevisse censendus est. Tamen recte *est* a M addi viro illi doctissimo concedo, quamquam quid re vera scripserit Ovidius, hoc loco vix diiudicari poterit.

11,235, ubi initio versus pro *est* Priscianus habet *et*, ego codices Ovidianos sequor (cf. H. Magn. Fleck. annal. 1894, 200).

11,435 *fretum est* O ε habent, L, Korn., Merk., Ries. *est* omiserunt. Cum H. Magno (Herm. 39,34) codices optimos sequendos puto; cum enim sensu minime cassa sit, *vocula est* sine gravibus causis omitti non debet.

De v. 13,403 hic pluribus agere mihi liceat; nefas enim mihi visum est, quamquam de forma *est* ipsa editores non dubitant, hunc locum omittere, cum omnes, id quod traditum est, mutaverint. Oh *impositaque fero* habent, quae lectio cum metrum violet, ab omnibus mutatur in *imposita est sero*. Sed haec lectio eo non commendatur, quod illud *que* eicitur et *fero* in *sero* commutatur. Praeterea *fero* optime cum *bello* coniungi potest; conferas



11,298; 12,418. Quid igitur legendum est? Si *fero* servatur, pro syllaba *a* vocabuli *imposita* longam poni oportet, in quo nos adiuvat codex  $\epsilon$ , qui recti vestigium habere videtur tradens *impositaeque*. Est in codicibus saepissime scribitur compendio  $\bar{e}$  (cf. 6,377, ubi M pro *raucae* est praebet *raucae*). Fortasse etiam in O *impositaeque* scriptum fuit et deinde in *impositaque* abiit, sicut 1,333 pro *conchaque* falso legitur *conchaque*. Ego igitur lego *imposita estque fero*. Nam *que* hoc modo poni doceberis 11,264 *exhibita estque* et 14,801, quo versu in primis ea, quam protuli, lectio adiuvatur. Iidem enim codices O h eodem errore uti videntur, quo 13,402, *strataque* pro *strataestque* praebentes, quae verba iterum recte tradit  $\epsilon$  teste Grauo p. 31 nec quisquam est, qui negat *strata estque* legendum esse. Si hanc lectionem receperis, enuntiatum regitur coniunctione *postquam* tempus indicanti et 403 recta incipit sententia.

Met. 13,422 *ultima conscendit classem*, (423) *in mediis Hecuba natorum inventa sepulcris*: v. 423 Merkelius perperam coniecit *Hecuba est*. Nominis *Hecuba* littera ultima longa est ut v. 549 et 556. Praedicatum est *conscendit*.

14,524 *arbore enim sucoque liquet cognoscere*: haec M habet *est* post *enim* omisso, quod item N omisit, nisi quod m. 3 addidit. Vulgo *arbor enim est* . . . legitur. Ego H. Magno (Herm. 39,61) applaudo et lego *arbore*. Tum *est*, quod bonis codicibus non adiuvatur, legere opus non est, cum *cognoscere* et ad *suco* et ad *arbore* referri possit.

14,703 *et modo nutrici miserum confessus amorem*, (704) *ne sibi dura foret, per spes oravit alumnae*: in v. 703 clausula *amorem est* traditur in Oh. Est omitti debet, *oravit* enim praedicatum sententiae, *confessus* participium coniunctum esse potest. Neque aliter interpretantur viri docti *est* omittentes. Riesius autem dubitanter commendavit, ut *est* ponamus et 704 *neu* legamus, ed. 1889 pg. XXVII, sed in



textu legit, quod vulgo recipitur. Ego editores sequor sicut H. Magnus (Herm. 39,33). Praeterea *est* raro post vocabulum in *em* exiens aphaeresin patitur, quamquam 8,450 *amorem est* in versus clausula adhibuit Ovidius. Cf. 9,453 *prolem est enixa*, quo loco *est* metro postulatur, et 6,460 *Venerem est. flagrat*, ubi *est* metrum non fulcit. — 14,724 *non tamen ante tui curam cessisse memento*, 725 *quam vitam; geminaque simul mihi luce carendum*. M a N et ε differt, qui post *carendum* afferunt *est*. N et ε et hic consentiunt et in huius libri vv. 109 et 489. M maiorem habet fidem; eius igitur lectionem adhibeo. *Cavendum* mihi ex *memento* suspensum esse videtur sicut *excessisse*, itaque suppleo infinitivum *esse* neque post *vitam* interpungo.

Ad Fastos transeo. 5,463 *nunc sum elapsa rogi flammis*: Verbum *sum* deest in libris deterioribus, ceteri habent, quod pono cum Riesio conferenti Met. 9,199 et 699, quibus addi potest Her. 14,55 *sum et virgo*. Merk. et qui eum secuti sunt *est* omiserunt.

1,475 *dixerat haec . . (476) multaque praeterea; tempore nacta fidem*: sic traditur in A V, interpunctionem dedi Merkelii. Riesius punctum in fine v. 475 ponens coniecit *multam est praeterito . .*, mea quidem sententia causis haud sufficientibus. Nam verba *multaque praeterea* ex *dixerat* bene haerere possunt. Sed superest quaestio, num Merk. recte interpunxerit, cum graviorem interpunctionem post *praeterea* ponat. Optione data ego malim Peterum sequi, qui participium *nacta* ad *multa* trahi vult.

3,688 *evicta est* AV Ries. habent, *evictas* Merk., Peter. Optime in sensum quadrat codicum A et V lectio, ceteri *evictas* habent, quod ex *evictast* corruptum esse veri simile est, atque hoc eo facilius legi potuit, quod quo referretur, habebat (scil. ad manus).

Hilberg. 1,278; 5,450; 5,465, ubi pro *est* legit *en*, ellipsin inferentem sequi non potui. 4,520 *heu quanto melior sors mea sorte tua est*: sic habent Merk., Ries.; contra Hilb.



hic quoque *est* omisit p. 419 codicibus deterioribus nisus, quod putat Ovidium aphaeresin formae *est* post *a* longam in fine pentametri evitasse. Ego malim codicum meliorum lectione uti.

5,448 *saepe tibi est Stygii regia visa Iovis*: sic Ries., Edwars., *est* omittunt Merk., Peter, Hilb. p. 444. Libri habent *est* praeter Londinensem et alios deteriores; optimi igitur *est* praebent, in ceteris autem *st* facillime ante vocem *Stygiis* eisdem consonantibus incipientem excidere potuit, quam ob rem Riesio applaudo *est* ponenti.

Sequuntur *Tristia*. III 10,58 *diripiuntur opes*, (59) *ruris opes parvae*: Merk. interpunctione utendum est hoc loco, Ries. graviolem distinctionem adhibet in fine v. 58, qua ellipsis infertur, quae quidem necessaria non est. Idem Ries. falso gravius interpunxit IV 2,28 post *belli*; fuerat enim etiam ad posteriorem versus partem trahendum est, quam ob rem cum Merk. comma ponendum erit. — I 6,6 . . . , *muneris omne tui est*: <sup>ee</sup> (id est *esse*) *tui* L (*omne tui est* L 2) habet; cum ceteris codd. omnes editores ea lectione utuntur, quam dedi. *Est* poni debet, quod videlicet in L adhiberi non potuit, cum *esse* praecederet, neque Hilb. assentior, qui eiecit verbum substantivum, ne in fine post *i* longam aphaeresin pateretur.

II 12; IV 1,92, V 14,28 cum Hilb. *est* eicere valde dubito. III 1,47 *causa superposita scripto testante coronae*: sic traditur in L, ceteri *superpositae* habent. Variis coniecturis viri docti textum sanare tentarunt, quarum maxime mihi arridet illa Owenii, qua legitur *superposita est*. Quo enim modo *superposita* codicis L pro *superpositae* oriri potuit, nisi si ex *superpositast* id est *superpositae*, ubi *est* scribebatur compendio, corrumpebatur? III 11,18 *nuda parum nobis C. i. mali est?* Hic Owenius post *parum*, Merk. et Ries. post *mali* legunt *est*, quibus contrarius est Hilb. p. 412 *est* omnino eiciens. Ego eo loco, quo optimi libri habent, i. e. post *mali* pono voculam *est*.



Ad Pontica me verto. II 4,7 *ante oculos posita est tua s. imago*: sic habent  $\beta$  et  $\gamma$  (siglis Kornii utor), *tua est tua* A, *tua stat tua* B. Editores inter se differunt, quorum correcturas omnes hic afferre opus non erit. Ea lectio, quam supra dedi, apud Kornium invenitur et defenditur ab O. Sehreuders in *Observ. crit.* (Lugdun. Batav. 1895) p. 48 et Ehwaldio in libelli, qui inscribitur „*Krit. Beiträge zu Ovids Epistulae ex Ponto*“, Gotha 1896, p. 30, neque possum nisi probare horum sententiam.

II 4,30 Hilb. p. 413 cum Heinsio et Burmanno *est* proscripsit fretus nonnullis libris deterioribus, ego ponere iubeor optimis codicibus.

II 7,49 *vita p. v. caret et sine labe peracta est*: haec tradunt  $\beta$  DE $\epsilon$ FG NP, quos Ries. sequitur, contra Heins., Merk., Korn. *est* omittunt. Quamquam A *est* non habet, tamen pono cum  $\beta$  et ceteris, cum ellipsin haud ita facile defendere possim.

9,21 *hoc tecum commune deo est, quod*: hoc loco *deos* A, *decus* B, *deo* D, *deis* EGL $\beta$ R $\psi$ , *diis* CEP habent. Heins., Merk., Korn. *est* omiserunt post *deo*, Ries. autem posuit atque id suo iure. Veri enim simillimum est *deos* ex *deost*, *deo est* ortum esse.

III 2,69 *par fuit his aetas et a. quorum alter O.*, (61) *ast alter Pylades (n. f. t.) protinus inमितem Triviae ducuntur ad aram*. Codd. fluctuant: *ast pilides alter*  $\beta\gamma$ , idem, sed *pylades* B, *ast alter pylades* D $\psi$ , *alter et est p.* G $\omega$ , *est alter pylades, est pilades alter, alter erat pylades* alii deteriores habent. Heins., Merk. <sup>1</sup>, Hilb. p. 567 *alter erat Pylades* legunt, Merk. <sup>2</sup>, Korn., Ries. *ast P. alter*, quod cum  $\beta$ ,  $\gamma$ , B ego quoque adhibeo: cf. Ehwald. *Krit. Beitr.* p. 5, adnot. 2. Restat quaestio, qua ratione sit distinguendum. Riesii interpunctio, quam supra habes, recta mihi esse videtur. Nonnulli autem post *alter* (v. 61) gravius interpungunt ita ut adsit ellipsis, quam equidem vitare malim. III 3,62; 3,92; IV 14,36 *est* eicere cum Hilbergio non audeo.



IV 9,57 *altera laetitiae nec cedens causa priori* (58) *successor . . frater . . erit*: sic Korn., Merk. legunt; ego cum Riesio optimis libris utor et *est* ante *nec* infero. Nam quamquam raro, tamen interdum aphaeresin patitur *vocula est* post *ae*.

His Ovidii locis absolutis ad Iuvenalem me verto, cuius unus locus est, ubi dubitatur de *vocula est*: 14,215 *parcendum est teneris, nondum implevere medullas*: (216) *naturae mala nequitia est*. In v. 216 *naturae* P ⊙ Buecheler, Friedlaender habent, *maturae* ⊚ Iahnus, *nequitia est* P, *nequitiae* p ⊙ exhibet. Buecheler addit: „nulla distinctio erat post *medullas*“. Fiedl. item hanc interpunctionem omittens *naturae nequitiae* in textu habet, ex commentario vero apparet eum *maturae* legere voluisse. Ego *naturae* optimis libris adhibitum retineo, cum ad sensum quadret haec lectio. Verbis v. 215 *n. i. m*, qua de causa *parcendum* sit *teneris*, significatur, quibus v. 216 optime adiungitur. Buecheleri igitur lectio et distinctio adhibenda est neque *vocula est* in v. 216 omitti debet. In Statii libris, quos examinavi non inveni sententias rectas, in quibus utrum sit ponenda forma verbi *esse* necne dubitatur ab editoribus.

Atque haec quidem sunt, quae de re critica disputanda sint. Si uno vel altero loco, ubi fluctuant codices, nihil addidero id, quod plerique legunt, adhibui.

#### De frequentia omissionum.

Ad alia me verto, numeros *voculae est* et omissae et adhibitae non solum in sententiis rectis, sed etiam in parenthesis et secundariis dabo neque enim inutile erit videre, quotiens admiserint ellipsin singuli poetae, quotiens verbum substantiae posuerint. Addo numeros, qui docent, in quot locis ellipsis infinitivi *esse* adsit.

Catullus autem frequentissime *est* adhibet (182 locis), raro omittit (19 locis). *Esse* in 12 versibus deest. Pluribus de ceteris agam. Sub A littera, in quot versibus, si medium sumas, *est* semel omittatur, demonstrabo, sub B, in quot versibus semel occurrat, sub C quotiens *esse* omissum sit.



	A	B	C		A	B	C
Ecl.	63	27	3	Met. XII	104	17	1
Georg. I	24	257		XIII	57	11	4
II	17	36	1	XIV	71	20	5
III	18	37	1	XV	440	13	3
IV	19	40	1	Fast. I	63	13	3
Aen. I	25	50	5	II	62	16	6
II	20	80	8	III	78	13	6
III	22	48	4	IV	35	10	9
IV	23	54	4	V	41	10	6
Her. 1—14	64	17	14	VI	39	10	10
Am. I	30	20		Trist. I	246	11	6
II	47	10	2	II	72	9	6
III	47	12	3	III	51	10	6
Art. I	41	12	9	IV	113	10	1
II	47	12	3	V	107	12	5
III	32	11	2	Pont. I	110	9	4
Med.	100	25		II	127	9	5
Rem.	81	10	1	III	67	10	3
Met. I	111	10	5	IV	98	11	7
II	136	13	4	Ib.	213	18	5
III	184	13	3	Nuc.	91	7	1
IV	89	15	3	Iuv.	25	20	24
V	62	10	3	Stat. Theb. I	21	60	5
VI	44	10	4	II	14	93	5
VII	79	16	2	III	18	120	6
VIII	136	12	1	Silv. I	20	79	1
IX	114	11	6	II	23	76	2
X	82	10	5	III	17	51	1
XI	79	12	1	IV	21	66	2



Quod ad infinitivi ellipsin attinet, memorandum est poetas fere eadem via profectos esse omittentes formam *esse* idque eo interpretandum erit, quod difficile erat huic formae locum dare in versibus. Haec quoque causa est, cur poetae ipsi in aliis libris plures infinitivi omissiones sibi permiserint quam aliis (velut Vergilius in Aen. I quinque, in II octo, Ovidius in Met. I quinque, in VIII unam, in IX sex).

Ex tabula autem apparet quantopere inter se distent poetae in vocula *est*, quam Vergilius saepius omisit quam posuit. Ab eius partibus stat Statius. Aliam vero viam ingressus est Ovidius, apud quem multo maior est numerus locorum, quibus forma illa adhibetur quam quibus omittitur. Iuvenalis denique medium fere tenet, numeri enim verbi substantivi deficientis et adhibiti pares fere sunt.

Quod ad formas *est* et *es* attinet, neglegendum non est etiam propterea eas praetermissas esse a poetis ut aphaeresin ingrattam evitarent.

*Est* apud Catullum aphaeresin patitur post *ã* 10,30; 12,5; 26,2, alibi; *â* 63,49; 91,10; *ẽ* 12,16; 16,6; 17,11 etc.; *ê* 62,8; 80,5; 80,7; *ô* 22,2; 64,147; 67,47; 78,3; 78,5; 112,1; *õ* 7,10; 11,24; 22,14; 22,21; 68 c, 119; 71,4; *um* 2,11; 3,2; 9,10 alibi; *ĩ* 61,185 (*tibi est*); 68 c, 120 (*mihĩ est*); *î* 62,63; 81,5; 96,5; *em* 62,54, ubi metro postulatur sicut 110,5, ubi *ae est* habet.

*Est* igitur in aphaeresi ponere Veronensis veritus non est, item *es*: *ô es* 34,15; *õ es* 112,1; *ã es* 66,27 (bis); 87,2; 110,3; *ẽ es* 115,7; *um es* 49,7; \*) *am es* 67,6. Ad metrum fulciendum formis *est* et *es* saepissime non opus fuisse in una quaque fere pagina libelli Catulliani invenimus, sed tamen poeta eis carere noluit.

\*) *es* infero cum Ellisio (ed. 1905). cf. H. Magnus in annal., qui inscribuntur Berliner philolog. Wochenschrift 1905 p. 1238, ubi de Ellisii editione minore recensionem et censuram instituit.



Apud Vergilium autem saepe numero *est* non nisi metri fulciendi causa conservatum est; aliter sine dubio poeta ellipsin praetulisset. Ita in Eclogis *est* metro ubique postulatur exceptis versibus 2,70; 3,72; 4,63; 6,11; 74; 7,43; 10,23. His locis *est* in fine versus adhibetur atque aphaeresis occurrit post *o* 2,70; 7,43; *i* 4,63; *ã* 3,72; 6,11. In interiore parte *est* aphaeresin passum est post *um* 3,45; 10,52; *ã* 3,102; 6,1; *e* 9,38; *e* 5,4; 8,107; *i* 8,33. *i* 5,32, quibus omnibus locis metro postulatur.

In Georgicon libris ter tantum illo *est* carere possumus, quod ad metrum attinet: 2,182 *iudicio est tractu surgens oleaster eodem*; 3,112; *tantus amor laudum, tantaest victoria curae*; 4,236 *illis ira modum supra est, laesaeque*. Vides autem, si omittas *est*, satis duram oriri ellipsin. Etiam in Aen. I—IV tres versus sunt, ubi intra versum hoc modo ponitur *est* 1,406; 2,584; 3,686. Idem in fine versus ponitur Aen. 1,64; 148; 386; 601; 614. 2,703. Georg. 2,272; 3,98; 391; 452; 478; 4,212; 402.

*Es* semel aphaeresin pati invenio post *ã* Aen. 4,547 (*merita es*), id scilicet metrum postulabat.

Apud Ovidium saepissime voculae *est* aphaeresis obvia est post vocales *a*, *e*, *i*, *o* breves et longas, cuius usus exempla congerere non iuvat. Contra *ae est* rarius invenitur, exstat tamen Met. 8,430; 776; 10,23. *am est* autem, ut Metamorphoseon locos afferam, poeta sibi permisit 9,164; 638; 12,554; *u est* 3,476; 10,401. *Es* invenio post *e* Met. 1,652; 4,322; 640; 9,312; 11,440; 14,378; *ubi es* Met. 8,232; Fast. 4,456; *quoniam es* Met. 10,630; post *ã* Am. II 4,33.

Concedes igitur raro *es* post *a* vel *am* poni, aliunde quae dedi aphaereseos exemplorum numerus augeri potest, sed hoc loco non opus erit; satis habui Metamorphoseon dare exempla. Cum igitur Catullus *es* post *o*, *ã*, etc. ponere



non vereretur, posteriores cautiores fuerunt. Iuvenalis enim evitavit etiam voculae *es* aphaeresin, item Statius.

Redeo ad voculam *est*, quae apud Iuvenalem ponitur post *ae* 3,171; 210; *em* 3,298; 5,1; *am* 8,122. Apud Ovidium et Iuvenalem haec forma intra versum et in fine versus saepissime obviam venit, quod exemplis multis demonstrari potest. Alius autem est Statius, qui haec quoque in re Vergilium secutus esse videtur. Nam in clausula quidem versus *est* saepius ponitur ita, ut metrum non fulciat: Theb. 1,359; 650; 672. 3,465; 626; 686. Ceterum in libro II nusquam *est* carere poteris. Semel in versu medio *est* supervacaneum est 3,700, ubi habes *certe est*, quod cum vi ponitur. Fortasse Catulliani versus 62,8 memor Statius scripsit haec verba.

In Silv. his locis metro non postulatur *est* in fine versus I 6,35; II 1,87; 5,29; IV 3,81; in medio versu II 1,154; IV 4,58.

Si Catullum, Vergilium, Ovidium, Iuvenalem, Statium, inter se conferas, invenias inter se differre poetas. Rarissime enim ellipsis admittitur a Catullo. Vergilius autem saepius verbum substantivum omisit et ex versu interiore eicere formam *est* studuit. Eum subsecutus est Statius et Aetnae poeta, de quo disputavit Th. Birtius (Phil. 1898. 11,622). Contra Ovidius omissionem sibi non permisit nisi certis condicionibus, pluribus vero locis verbum substantiae posuit quam eiecit atque hunc poetam sequitur Nucleus elegiae auctor, qui quotiens *est* omiserit, supra monui. Iuvenalis ut ita dicam, medium fere tenere videtur inter Vergilium et Ovidium. De ellipsi verbi *esse* apud Claudianum Birtius praeivit in ed. p. CCXXIV hanc regulam observans „*est* ubique repudiari nisi ubi aut metrum fulcit aut ad certas locutiones usu receptas pertinet“. Claudiano huic similis est Statius, qui Vergilium sequitur. Si Iuvenalem excipis, videmus, quo prioris quisque aetatis sit, eo rarius, quo posterioris, eo saepius



adhiberi ellipsin. Haec regula cum cadat in poetas, quos examinavi, mirum esset, nisi Plautus simili ratione uteretur. Qua de causa Waldemaro Olsenio assentiri non possum, qui in libro, qui inscribitur „Quaestionum Plautinarum de verbo substantivo specimen. Gryphiswaldiae 1884“, *us ante es et est* non excidere potuisse ratus nimis multa ellipseos exempla in libros Plautinos infert.

Iam superest in fine opusculi quaestio, quo factum sit ut poetae veteres ellipsin evitarent, qui sequebantur, in omittendo verbo substantivo sibi placerent. Constat autem inter omnes eos poetarum Graecorum usum imitatos esse, et de graecismis syntaxeos qui sunt apud poetas Augustei temporis, egit I. Schaeffler „Die sogenannten syntaktischen Graecismen bei den augusteischen Dichtern. Amberg 1884“. Si introspexeris artem grammaticam, quae est Kühneri — Gerthii p. 40 (ed. III), invenies omnibus fere condicionibus, quas attuli ex poetis Romanis, scriptores Graecos ipsos quoque verbum εἶναι omisisse. Et a poetis et a prosae orationis scriptoribus in sententiis generaliter dictis, apud adiectiva verbalia in -τέος exeuntia (cf. gerundivum), apud ὄρα, κάρδος, apud θαυμαστὴν ἔδον (cf. *mirum*) similia eadem ellipsis adhibetur. Exemplis, quae dedit Kühner, multa nimirum addi possunt. In pro-patulo est, quas Romanorum esse demonstravi, omissiones fere omnes his simillimas esse, quam ob rem ego eo adducor, ut ellipsin verbi substantivi ad graecismos latinos referam. Quodsi feceris, explicare etiam poteris, cur antiquissimi poetae tam raro adhibeant ellipsin. Graecorum opera, in quibus inde ab Homeri temporibus verbum εἶναι omittitur, sensim notescebant, atque eorum artem secuti sunt poetae posterioris temporis et in aliis et hac in re. Ita etiam suam habet interpretationem, quod poetae Romani saepius quam solutae orationis scriptores adhibeant ellipsin. In primis enim poetae a Graecis stant atque eos illos praecipue secutos esse



notum est. Similitudine etiam ea utuntur, quod et Graeci et Romani poetae multo rarius ellipsin praeteriti sibi permiserunt quam praesentis temporis. Tuo iure igitur ellipsin verbi substantivi inter graecismos numerabis.

---





## VITA.

Natus sum Theodorus Winter anno p. s. LXXXII die XVII mensis Dec. Petershageni, in oppido Guestfaliae, patre Carolo direttore scholae mutorum et surdorum, matre Maria e gente Boeddecker. Fidem profiteor evangelicam. Octo annos in scholis oppidi paterni institutus ab anno XCVII pr. s. usque ad annum h. s. II archigymnasium Susatense frequentavi. Maturitatis testimonio instructus Bonnam me contuli, ut studiis me darem philologis, partim historicis. Ibi sex menses versatus in Berolinensem univertitatem profectus sum, cuius civis fui tria semestria. Inde Marpurgium emigravi, ubi quater sex menses philologiae operam dedi.

Proseminario Berolinensi tria, Marpurgensi unum semestre interfui; Marpurgi ut seminarii sodalis essem, benignitate factum est Birti, Kalbfleischi, Maassi directorum. Exercitationibus historicis me admiserunt C. F. Lehmann Berolinensis, Niese et v. d. Ropp Marpurgenses.

Examen rigorosum sustinui die V mensis Dec. pr. anni. Usque ad diem promotionis Susati versatus sum, quo parentes migraverunt.

Docuerunt me viri doctissimi Bonnenses: Elter, Frank, Jaeger, Meyer, Nissen, Solmsen, Usener, Wiedemann, Berolinenses: Delbrück, Diels, Doering, Harnack, Heinze, Helm, Kaftan, Kalkmann, Kekulé v. Stradonitz, C. F. Lehmann, R. Lehmann, Meyer, Münch, Schulze, Struck, Tangl, Vahlen, Wentzel, v. Wilamowitz-Moellendorf, Wobbermin. Marpurgenses: Bauer, Birt, Cohen, v. Drach, Kalbfleisch, Maass, Natorp, Niese, Rade, v. d. Ropp, v. Sybel, Wenck.

Omnibus qui me docuerunt quantum debeam non obliviscar, in primis vero Theodoro Birt gratias ago quam maximas, qui summa liberalitate hanc dissertationem suaserit atque aluerit.















✓  
Marburg, Phil. Diss., 1907  
Schu-z (1)

ULB Halle  
005 996 929

3









DE ELLIPSI VERBI ESSE  
APVD CATVLLVM, VERGILIUM,  
OVIDIUM, STATIUM, IUVENA-  
LEM OBVIA  
CAPITA DUO.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM AUCTORITATE ET CONSENSU AMPLISSIMI  
PHILOSOPHORUM IN ACADEMIA PHILIPPINA  
MARPURGENSI ORDINIS AD SUMMOS IN PHILO-  
SOPHIA HONORES RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

THEODORUS WINTER

SUSATENSIS-GUESTFALUS

MARPURGI CATTORUM  
MCMVII.

